AUTHOR:

SCHNEPF, MAX

TITLE:

DE IMITATIONIS RATIONE, QUAE...

PLACE:

KEMPTEN

DATE:

1887

Master Negative #
93-81554-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schnepf, Max

De imitationis ratione, quae intercedit inter Heliodorum et Xenophontem Ephesium, commentatio ... von Dr. Max Schnepf ... Kempten, Kösel, 1887.

48 p. 22½ cm.

"Programm der K. Bayer. studienanstalt zu Kempten ..."

Pub. also as author's thesis, Tübingen, under the title: Utrum Heliodorus an Xenophon Ephesius aetate superior sit, inquiritur.

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB

DATE FILMED: 7/8/93 INITIALS BF

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT








AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.





De

imitationis ratione,

quae intercedit

inter

Heliodorum et Xenophontem Ephesium,

commentatio.

Programm

der

K. bayer. Studienanstalt zu Kempten

für das Schuljahr 1886/87

verfasst von

Dr. Max Schnepf,
K. Studienlehrer.

Kempten.
Buchdruckerei der Jos. Kösel'schen Buchhandlung.
1887.

Die Abhandlung, ein Beitrag zur Geschichte des griechischen Romans, wurde von dem Verfasser unter dem Titel „Utrum Heliodorus an Xenophon Ephesius aetate superior sit, inquiritur" der philosophischen Facultät der Universität Tübingen als Promotionsschrift vorgelegt.

Ex quo Xenophontis Ephesiaca e tenebris, quibus diu occultata erant, in lucem prolata et primum edita sunt, ambigitur inter viros doctos, qua aetate auctor libelli floruerit et quem locum obtineat inter scriptores veteres, qui nobis fabulas Romanenses, quas vocant, reliquerunt; et magna sane est sententiarum discrepantia, cum alii eum secundo, alii quarto aut quinto saeculo p. Chr. n. viguisse contendant, prout aut omnium fabulatorum eroticorum, quorum libri exstant, eum vetustissimum esse, aut post ceteros omnes uno Charitone excepto aut post Heliodorum saltem scripsisse existimant.

Quodsi quaerimus, quibus quisque argumentis nixus iudicium fecerit, hoc fere loco eam quaestionem esse videmus: Ei homines docti, qui Xenophontem Ephesium infra ceteros eiusdem generis scriptores vel omnes vel quosdam fuisse putaverunt, ad unam sermonis elegantiam et colorem Atticum spectaverunt, quo eum ceteris parem non esse dicerent. Dorvillius quidem (ad Charit. pag. 19) ait, „aetatem Charitonis hactenus definiri posse sibi videri, ut saltem post Heliodorum, Achillem Tatium, Longum aevum egisse tuto statuatur, immo post ipsum Ephesium Xenophontem. Eos enim omnes tersiore et puriore dictione usos esse."

Corayus vero, qui in eadem sententia est, nihil aliud affert ad eam confirmandam, nisi usum quorundam vocabulorum, quem serioris aetatis indicium esse falso arbitratur, cum ea vocabula multis ante fabulatores eroticos scriptoribus usitata sint.[1]) Tam infirmo autem atque ipsius doctrina indigno argumento fretus non dubitat affirmare, plane incre-

---

[1]) ad Heliod. I pag. *ιε' τοιαῦτα εἶναι ὁ „φοβερὸς ἔρως" ἀντὶ τοῦ „μέγας" καὶ „σφοδρός", ἡ „εὐμορφία" καταχόρως εἰς τὸ σύγγραμμα τοῦτο ἀντὶ τοῦ „κάλλος", καὶ „εὔμορφος" ἀντὶ τοῦ „καλός", οἱ „καλοὶ χρόνοι" ἀντὶ τοῦ „ἀγαθοὶ" ἢ „εὐτυχεῖς χρόνοι", καὶ ἄλλα.* —

dibile esse, Xenophontem secundo saeculo p. Chr. n. viguisse,[1]) idque sibi ita persuasum esse, ut nullis prorsus argumentis adduci possit, ut eum ante Heliodorum scripsisse credat[2]). (cf. Rohdium, Der griechische Roman und seine Vorläufer, pag. 392 adnot. 1, 393 adnot. 1).

Eius unius, opinor, auctoritate fractus Peerlcampius (Xen. Eph. praef. pag. 62) dicit, se nimio Ephesii amore ablatum in oratione de eo habita omnium, quotquot supersint, eroticorum antiquissimum eum esse statuisse. Haud multo post iterata saepe illius lectione et accuratius cum aliis instituta comparatione se errorem sensisse et Xenophontem longe post Heliodori tempora reicere coepisse. — Corayi sententiam etiam Passowius, Corp. erot. vol. II pag. 10 sq. secutus est.

Atque omnino apud recentiores, qui quidem se de ea re idem sentire profiteantur, cum nihil novi argumenti afferant, valere eius auctoritatem existimo. — Velut H. Peterus (Neues Schweiz. Museum, 6. Jahrgang 1866) tantummodo statuit Heliodorum exeunte saeculo quarto, (pag. 18) paulo post eum Achillem Tatium, (pag. 28) neque ita multo post huius aetatem Xenophontem Ephesium (pag. 29) scripsisse. Quod autem quidam existiment Xenophontem sub Antoninis floruisse, eos valde errare, cum ille quarto vel quinto saeculo, certe non ante Heliodorum fuerit.

Longum est enumerare nomina omnium, qui in eandem sententiam discesserunt, idque eo minus opus esse videtur, quod, nisi eorum argumentatio per se firma est, ne maximo quidem numero nominum corroborari potest. Quae certe spernenda non esset, si de fabularum eroticarum auctoribus eisdem notis iudicare nobis liceret, quibus de scriptoribus latinis, qui eisdem temporibus viguerunt. Nunc autem iam pridem cognitum est, genus scribendi magis aut minus Atticum in eis scriptoribus Graecis, qui sophistae recentiores nominantur, quo in numero fabulatores eroticos ad unum omnes esse constat, certam aetatis notam esse non posse, propterea quod illi scriptores non ea lingua, quae ipsorum temporibus in usu atque ore Graecorum erat, libros suos composuerunt, sed pro sua quisque facultate antiquum Atticum sermonem imitati sunt.

---

[1]) ib. I pag. ιε´ ἀπίθανον ὅτι ὁ Ξενοφῶν ἤκμασεν εἰς τὸν αἰῶνα, τοιού-
ὅστις ἐγέννησε τὸν Πλούταρχον, τὸν Γαληνόν, τὸν Λουκιανόν, καὶ ἄλλους
τους σοφοὺς καὶ πεπαιδευμένους ἄνδρας. —

[2]) ib. II pag. ϛ´ ἀρχαιότερον Ἡλιοδώρου γεγονέναι τὸν τὰ Ἐφεσιακὰ γράψαντα οὐδείς γέ μ᾽ ἂν πείσειεν, οὐδ᾽ ἢν πείσῃ —

Ex eo efficitur, ut dictio eorum nihil aliud indicet, quam quanto studio et fructu ipsi scriptoribus Atticis legendis operam dederint. Quae cum ita sint, sententia eorum, qui Xenophontem Ephesium ob id unum infra Heliodorum fuisse arbitrantur, quod sermo eius magis barbarie infuscatus videatur, concidat necesse est. (cf. Rohdium, pag. 405 et 406.)

Longe aliter iudicaverunt ei, qui de aetate Xenophontis Ephesii collectis quibusdam indiciis, quae ad scribendi genus nihil pertinent, statuere conati sunt.

Eorum princeps, quod sciam, Casperius est, qui in Spec. dissert. de Xenophonte Ephesio, editioni Peerlcampii adiuncto, pag. XII nonnulla argumenta affert idonea, quibus ostendatur Xenophontem ante imperatorem Aurelianum floruisse. Eum secuti sunt Locella (ad Xen. Eph. pag. VIII sq.) et Rohde in lib. laud. de scriptoribus fabularum Romanensium (pag. 389 sq.)

Earum autem rerum, quas Casperius et Locella annotaverunt, haec fere summa est: Toto Xenophontis libello nulla prorsus causa inveniri potest, cur non credamus auctorem fabulam suam quasi rem ipsius aetate actam narrare voluisse. Ante Augustum autem eum scribere non potuisse documento est, quod praefecti Aegypti mentionem facit, quem magistratum ab hoc imperatore primo institutum esse accepimus; (Xen. Eph. pag. 373, 11[1]) *τῷ τῆς Αἰγύπτου τότε ἄρχοντι.* ib. pag. 374, 15 *ἧκε παρὰ τὸν ἄρχοντα τῆς Αἰγύπτου*) neque Hadriano antiquiorem eum esse credendum est, quod irenarcha Ciliciae apud eum commemoratur, (pag. 358, 9 *ὁ τῆς εἰρήνης τῆς ἐν Κιλικίᾳ προεστώς* — pag. 370, 6 *ἄρχειν ἐχειροτονήθη τῆς εἰρήνης τῆς ἐν Κιλικίᾳ*) cuius magistratus ante Hadrianum nulla usquam mentio fit. (cf. Marquardtium, Röm. Staatsverw. (1873) I pag. 521.) Sed Constantini magni temporibus multo superiorem fuisse eo cognoscitur, quod de urbe Epheso tamquam florentissima civitate loquitur, praesertim vero ex iis, quae de Dianae festo die deque eius vigente cultu affert (pag. 330, 12 sq.). Dianae Ephesiae templum autem iam anno 262 Gallieno imperante direptum atque incensum est,

---

[1]) Numeri paginarum et versuum appositi referuntur ad Hercheri editionem Eroticorum Scriptorum Graecorum et ad Imm. Bekkeri editionem Heliodori Aethiopicorum.

et ipsa Ephesus postea vastata iacuit. Aliud argumentum, quo ante Constantinum Magnum eum scripsisse probabile fit, duci potest ex eis, quae scriptor narrat de crucis supplicio (pag. 374, 20 sq., pag. 377, 10), quod ab illo imperatore abolitum esse constat. Item ex eo, quod antiquis quarundam urbium nominibus utitur, velut Byzantii (pag. 360, 28 al.) Mazacae (pag. 359, 21) Perinthi (pag. 360, 12 al.) hoc saltem colligi potest, eum illa aetate non floruisse, qua ea nomina in usu esse desierant. Secundo aut tertio saeculo eum scripsisse etiam eo apparet, quod Apollinis Clarii templum et oraculum commemorat, cuius post Alexandrum Severum nulla mentio fit (pag. 335, 10, cf. Rohdium, pag. 300, Marquardtium, Röm. Staatsverw. III pag. 96 adnot. 4). Ad haec indicia, ex quibus quaedam minus certa esse me non fugit, Rohde nonnulla satis gravia adiungit, cum dicit (l. l. pag. 300 et 301) apud Xenophontem complura vestigia prisci moris Graecorum inveniri et ita quidem, ut scriptor non antiqua et obsoleta narrare, sed res vitae consuetudine sibi notas referre videatur.

Eiusmodi sunt: pompa et sacra Dianae Ephesiae, quae Xenophon ita describit, ut similibus eum interfuisse appareat; (pag. 330 et 331) descriptio nuptiarum Anthiae et Perilai, (pag. 357, 6) ubi Anthiam solam in thalamum ductam esse narrat, Perilaum cum amicis convivio operam dedisse, id quod antiqui moris Graeci esse videtur; ritus quidam veteres, qui in Anthiae funere observantur (pag. 368, 1 sq.). Neque minus antiquae pietatis studiosum se praebet Ephesius eis locis, ubi Hyperanthis sepulturam describit (pag. 362, 3 sq.) et iusta funebria mortuis religiose tribui facit. (pag. 393, 2 et 399, 15.)

Quibus omnibus rebus perpensis Rohde (l. l. pag. 302) aut exeunte secundo aut ineunte tertio saeculo p. Chr. nat. Xenophontem Ephesium scripsisse statuit.

Etiam accuratius aetatem eius definire conatur auctor disputatiunculae de Xenophonte Ephesio, quae est in libro, qui inscribitur „Biographie universelle ancienne et moderne.“ Is inter annum 167—192 p. Chr. nat. Ephesiaca composita esse vult, cum eorum auctorem et aliquanto post Hadrianum floruisse putandum sit, neque probabile videatur eum bellorum civilium, quae post Commodi mortem in Asia exarserunt, aequalem fuisse. Totam enim narrationem eiusmodi esse, ut eius auctorem cum florentissimis Asiae

rebus scripsisse, tum Byzantii calamitatem ignoravisse appareat.[1])

Omnia igitur indicia, quae ex ipso Xenophontis Ephesii libello conquiri possunt, eodem pertinent, ut sub finem secundi saeculi post Chr. nat. floruisse videatur.

Heliodorum vero, auctorem Aethiopicorum, quem eundem Triccae episcopum fuisse vulgaris opinio est ex nominum ratione profecta, exeunte tertio saeculo aerae nostrae viguisse[2]) Rohde, pag. 432—466 acutissima disputatione

---

[1]) Ex ea disputatione, quae ad quaestionem nostram pertinerent, excerpenda et apponenda putavi: Il est aujourd'hui démontré . . . . que l'irénarchie ne fut institutée que sous le règne d'Adrien, c'est-a-dire de l'an 117 à l'an 138 de notre ère. Il est donc désormais impossible d'ámettre que Xénophon ait vécu antérieurement à cette époque et probablement on ne risquerait rien en le reculant d'un demi-siècle, puisqu'en nommant les irénarques il parle de leur magistrature comme d'une institution ancienne et en quelque sorte universellement connue au moins en Asie . . . . . ce qui place l'auteur vers 167 et en fait un contemporain de Marc-Aurèle et de Commode. Nous n'oserions le renvoyer beaucoup plus loin, parce qu'après l'assassinat du dernier de ces princes (31 décembre 192) ce que l'on peut appeler l'anarchie militaire commença . . . . Comment le spectateur de tant de désastres, de tant de scènes de désolation et de carnage ne nous retracerait-il que les tableaux de l'opulence, de l'industrie et de la paix? Comment, voulant nous peindre ses personnages en proie à tous les malheurs, ne profiterait-il pas des ressources que lui présenteraient en foule des guerres et surtout des guerres civiles? Tout s'explique dès qu'on suppose les Ephésiaques publiés longtemps avant que ces tristes résultats de l'ambition eussent ensanglanté l'orient. Nos conjectures arriveront à la certitude si l'on songe plus spécialement à la manière dont l'auteur présente Byzance. Chez lui c'est une cité libre, riche, florissante, populeuse, brillante parmi les villes de province par son commerce et sa grandeur et gouvernée par ses propres magistrats. Telle fut Byzance en effet depuis les temps de Mithridate, jusqu' à l'avénement de Sévère. Mais lors des troubles qui s'élevèrent pour la succesion de Didius, non seulement Byzance, ainsi que le reste de l'Orient, se déclara pour l'antagoniste de Sévère, elle tint contre l'armée victorieuse trois ans après que toutes les provinces avaient reconnu sa loi. Enfin pourtant, il fallut se rendre; mais la ville rebelle vit ses murailles rasées, ses maisons réduites en cendres, ses habitants vendus et ses priviléges, ses franchises à jamais anéantis. Quelques édifices seulement furent conservés à la sollicitation de Caracalla et formèrent une misérable bourgade, jusqu' au temps où Dioclétien alla habiter Nicomédie. — C'est donc dans un espace d'environ vingt-cinq ans, de 167 à 192, que nous placerons la publicatioa du roman qui nous occupe. —

[2]) Rohde, pag. 465 . . . . Die Frömmigkeit seiner Zeit ist, um es kurz zu sagen, nicht die neuplatonische, sondern die neupythagoreische. Ich kann mir den Heliodor nicht als einen Zeitgenossen des Jamblichus und Julianus vorstellen. Ich sehe andererseits nichts, was uns veranlassen könnte, seine Lebenszeit über die zweite Hälfte des dritten Jahrhunderts herunterzudrücken. Jedenfalls lebte er nach dem zweiten Philostratus, dessen Biographie des Apollonius von Tyana er gekannt haben

probabile fecit. — Idem demonstravit in Aethiopicis nulla prorsus inveniri vestigia, quae indicarent auctorem legis Christianae studiosum fuisse.[1])

Neque vero mihi propositum est ea argumenta examinare et de probabilitate singulorum disserere: hoc unum monuisse satis habeo, quidquid ex utroque scriptore separatim de aetate eorum colligi possit, quae indicia neque multa neque admodum certa esse concedo, ad eam sententiam nos perducere, ut Xenophontem Ephesium Heliodoro aetate antecessisse credamus.

Ea sententia si vera est, fieri non posse credas, quin eis scriptoribus inter se et cum ceteris eroticis accuratius collatis confirmetur. Constat enim cum omnes fabulatores eroticos, uno fortasse Longo excepto, multa alium ab alio mutuatos esse, tum Xenophontis et Heliodori tam multos esse consensus, ut imitationis ratio inter eos intercedere videatur.

Sed tantum abest, ut viri docti adiumentis inde petitis quaestionem persolvere conati sint, ut ea res ipsa etiam nunc quibusdam maiorem efficere difficultatem videatur. Nicolaius quidem (Ueber Entstehung und Wesen des griechischen Romans pag. 7) se arbitrari negat, scriptorum eroticorum certum ordinem constitui posse, quod, cum eorum communis fons, Antonii Diogenis liber, non exstet, diiudicare nequeamus, quid unusquisque illi, quid inter sese debeant. Ac ne Rohde quidem, quamvis licet eam, de qua dictum est, sententiam defendat, ex similitudine narrationis Heliodori et Xenophontis satis firmis argumentis demonstrari posse iudicat, utrius auctor prior scripserit.[2])

---

muss; aber warum soll er nicht ein Zeitgenosse des dritten Philostratus, ein Mitglied der zweiten unter den oben bezeichneten drei Hauptperioden der Sophistik gewesen sein? *Wenn es sehr begreiflich ist, warum mit den meisten andern Mitgliedern dieser zweiten Periode auch unser, doch keineswegs ganz verächtlicher Rhetor in der litterar-historischen Ueberlieferung völlig verschollen ist*, so könnte man sein Bild recht wohl sich erneuern, wenn man ihn etwa in die Zeit des Kaisers Aurelian versetzte.

[1]) ib. pag. 442. Von Christlichkeit des Verfassers dieser Erzählung wird nun hoffentlich kein Einsichtiger mehr reden. pag. 443. Nicht einmal dass in späterer Zeit dieser so nachdrücklich seinen heidnischen Glauben proclamierende Heliodor zum Christenthume übergetreten sein möge, braucht man als irgend wahrscheinlich zuzugeben.

[2]) l. l. pag. 393. Ein genügender Beweis für die Priorität des Einen oder des Andern wird sich nicht führen lassen.

Nihilo setius, cum fabulis eroticis semel atque iterum perlectis rectissime mihi sentire viderentur, qui Ephesium aetate priorem esse existimarent, faciendum mihi putavi, ut adhibitis Charitone, Achille Tatio, Longo eos locos Ephesiacorum et Aethiopicorum, qui insignem prae se ferrent imitationis notam, diligenter colligerem et examinarem. Etenim videre mihi visus sum, nonnulla legi apud Xenophontem et Heliodorum, quae apud ceteros fabulatores eroticos aut omnino desiderarentur, aut longe aliter exposita essent, quibus haec sententia, si non prorsus extra dubitationem reponi, at multo veri similior effici posset.

Neque vero tam obscura quaestio est, quam Nicolai eam esse vult. An quisquam Achillis Tatii libro cum Heliodori comparato dubitabit, quin ille hunc sibi imitandum proposuerit? Quae imitatio tam manifesta est, ut cum propter perversum imitandi studium et putidam loquacitatem nescio qui vir doctus non imitatorem sed simiam Heliodori nuncupaverit. Charitonem autem cum ex Heliodoro tum ex Xenophonte quaedam sumpsisse neminem nunc quidem esse puto, qui infitietur. Prorsus igitur abhorret a veri similitudine in Xenophonte et Heliodoro comparando nihil omnino cerni posse.

Quod autem ipse Rohdius desperat, quidquam certi in ea quaestione sciri posse, summa quidem est viri doctissimi auctoritas, quippe qui hoc litterarum genus penitus perspexerit eiusque primas origines aperuerit, sed haud scio an ad maiora spectans hanc minutam quaestionem levius attigerit.

Nam quod dicit (l. l. pag. 393) Xenophontem eo priorem videri, quod nonnulla apud eum tamquam incohata et adumbrata sint, quae apud Heliodorum plane explicata et copiosius exposita legantur: ille omnino perbrevis est in enarrando, hic grandiloquus et verbosus et luminum dicendi venator acerrimus. Ex quo efficitur, ut res quaedam simillimae, quae illic breviter et strictim narrantur, hic multis verbis exponuntur, non eaedem ob id ipsum idoneae sint, quibus demonstretur, hunc illius imitatorem putandum esse. Quid enim obstat, quominus ex contrario iudicemus, Xenophontem ea ex Heliodoro sumpsisse et, qua est dicendi exilitate, contraxisse et mutilavisse? Eiusmodi omnes fere consensus sunt, quos Rohde, pag. 392 ex his scriptoribus adfert: quod apud utrumque una ex fabulae personis ad sacrificium destinata in extremum vitae discrimen adducitur, quod hinc Habrocomes illinc Chariclea nomine sceleris ab alio quodam commissi damnantur et eodem miraculo servantur, quod

uterque narrationem in Aegyptum transfert et latrones Aegyptios inducit.

Eae res ut sunt certissima indicia imitationem utique subesse, ita haudquaquam aptae sunt, quibus ostendatur, uter utrius imitator habendus sit. Alia quaedam, quae re vera huc pertinent, vir doctissimus tantummodo obiter perstrinxit.

Multo etiam minus operae Locella in eam quaestionem contulit. Is cum derideat scriptorum eroticorum egestatem ingenii, qui eodem quasi instrumento narrationis utantur, ut facile intellegi possit, quam arto imitationis vinculo universi contineantur, (l. l. pag. 170 et 204) tamen omnino semel de Heliodoro ut Xenophontis imitatore sententiam profert, ubi agitur de rogi miraculo, his ipsis verbis usus: (l. l. pag. 250) „Addit denique Hemsterhusius conferre cum his licere non dissimilem casum et exauditas Charicleae preces apud Heliodorum. Quod si fecerit lector, comparabit simul modum prodigii apud Nostrum simplicissimum, cum illo multo magis in Heliodori narratione incredibili, nec tamen forte non suspicabitur, imitationem esse hanc eius miraculi, quod ingeniosus ac disertus ille episcopus (sc. Heliodorus) apud Nostrum legerat.“ Suspicio quidem certe hoc loco nascitur, rem sic se habere, ut vir doctus dicit, sed firmi argumenti nihil inde proficiscitur. Iam vero in extensis ceterorum editorum commentariis innumerabiles locutiones et vocabula ex omnibus eroticis apposita sunt, sed ad eos locos, quibus haec quaestio tota fere continetur, comparandos nemo eorum accessit. Ut brevi praecidam, adhuc nemo, quod quidem sciam et comperire potuerim, separatam operam in eam quaestionem impendit. Quapropter operae pretium me facturum esse ratus, non dubitavi eam aggredi. Ut autem non efficiam, quod volo, tamen me non paenitebit congessisse quaedam, quae in eadem quaestione retractanda usui esse possint. —

Ac primum quidem dicendum est de „artificio quodam scriptorum eroticorum ex vitae privatae condicione ducto, quo narrationem suam ita instituunt, ut amantes in sacris publice obeundis ac per sollemnia celebrandis primum inter sese conspiciant“ (Dilthey de Callimachi Cydippa pag. 49) et plerumque vixdum inter se conspicati summo amore ac desiderio incendantur. Hoc artificium nemo fere eorum, qui fabulas Romanenses adnotationibus instruxerunt, aut de eis disputaverunt, commemorare neglexit (cf. Dorvillium ad Charit. [ed. Reiske] pag. 208. Peerlcampium ad Xen. Ephes. pag. 86 sq. Locellam ad Xen. Eph. pag. 139. Rohdium, pag. 146.)

Quamquam igitur Heliodorus pariter atque Xenophon Ephesius eo artificio usus amantes in pompa quadam sollemni inter sese conspexisse et adamasse narrat, credi poterat, utrumque nulla alterius ratione habita ex poëta quolibet Alexandrino, velut ex Callimachi Cydippa id sumpsisse. Sed et Peerlcampium (Spec. observ. in Xen. Eph. pag. 27) et Rohdium (l. l. pag. 393) optimo iure negare existimo, descriptionis illius pompae apud hos scriptores tantam similitudinem futuram fuisse, nisi alteruter alterius narrationem imitandam sibi proposuisset.

Mitto enim, quod apud utrumque amantes mira pulchritudine conspicui eius pompae quasi primas partes agunt, et quod ingens hominum multitudo summa laude et admiratione eos prosequitur; nam similia etiam alios scripsisse consentaneum est. Verum in habitu et vestitu Anthiae et Charicleae depingendo non potuisse eos fortuito in tam similia incidere nemo his locis perlectis infitiabitur:

Xen. Eph. pag. 331, 2 sq. . . . *κόμη ξανθή, ἡ πολλὴ καθειμένη, ὀλίγη πεπλεγμένη, πρὸς τὴν τῶν ἀνέμων φορὰν κινουμένη . . . . . χιτὼν ἁλουργής, ζωστὸς εἰς γόνυ μέχρι βραχιόνων καθειμένος, νεβρὶς περικειμένη, γωρυτὸς ἀνημμένος, τόξα, ἄκοντες φερόμενοι . . .*

Heliod. pag. 81 et 82 . . . . *χιτῶνα δὲ ἁλουργῆ ποδήρη χρυσαῖς ἀκτῖσι κατάπαστον ἠμφίεστο, ζώνην δὲ ἐπεβέβλητο τοῖς στέρνοις . . . . . τοιαύτη μὲν ἡ ζώνη τῆς κόρης, ἡ κόμη δὲ οὔτε πάντη διάπλοκος οὔτε ἀσύνδετος, ἀλλ' ἡ μὲν πολλὴ καὶ ὑπαυχένιος ὤμοις τε καὶ νώτοις ἐπεκύμαινε τὴν δὲ ἀπὸ κορυφῆς καὶ ἀπὸ μετώπου δάφνης ἁπαλοὶ κλῶνες ἔστεφον, ῥοδοειδῆ τε καὶ ἡλιῶσαν διαδέοντες καὶ σοβεῖν ταῖς αὔραις ἔξω τοῦ πρέποντος οὐκ ἐφιέντες· ἔφερε δὲ τῇ λαιᾷ μὲν τόξον ἐπίχρυσον, ὑπὲρ ὦμον τὸν δεξιὸν τῆς φαρέτρας ἀπηρτημένης.*

Haec descriptio tota insigne exemplum generis scribendi Nostrorum est, quorum alter tam simpliciter scribit, ut exilitatis vitium vix usquam effugiat, alter tam verbosusest, ut nonnunquam taedium lectori afferat. Peerlcampius autem ea ipsa descriptione eo adductus est (Spec. observ. in Xen. Eph. pag. 27), ut Heliodorum Xenophontis imitatorem iudicaret, etsi postea commutata sententia Corayi auctoritatem sequi animum induxit. Neque vero quemquam negaturum esse puto eos locos ita inter se similes esse, ut alter ex simplici et exili Xenophontis oratione in grandiloquum vel potius inflatum Heliodori genus scribendi translatus videatur. An quisquam sibi persuadebit, eum, qui haec prior scripserit,

„ῥοδοειδῆ τε καὶ ἡλιῶσαν“ (κόμην) dixisse, imitatorem, quamvis ieiunum eo delapsum esse, ut „κόμη ξανθή“ eius loco poneret? Iam vero haec Ephesii verba „ἡ πολλὴ καθειμένη, ὀλίγη πεπλεγμένη, πρὸς τὴν τῶν ἀνέμων φορὰν κινουμένη“ nonne ipsa figura homoeoteleuti, quae postmodo iteratur („ἄκοντες φερόμενοι, κύνες ἑπόμενοι“) inventorem potius quam imitatorem indicant? Atque idem dici potest de totius descriptionis brevitate et astricta quadam concinnitate, quae a diffusa et dissipata Heliodori narratione vel maxime abhorret. Sed ut hoc argumentum non satis firmum sit, quo demonstretur, uter utrum imitatus sit, subesse saltem imitationem nemo negabit, praesertim cum ibidem complures non minus aperti consensus exstent:

Xen. pag. 330, 28. ἦν δὲ τὸ κάλλος τῆς Ἀνθείας οἷον θαυμάσαι, καὶ πολὺ τὰς ἄλλας ὑπερεβάλλετο παρθένους.

Heliod. pag. 81, 10. κρίσις γὰρ αὕτη μία παρὰ πᾶσιν ἐκρατύνετο, μὴ ἂν φανῆναί τι κατ' ἀνθρώπους, ὃ τὸ Θεαγένους ὑπερβάλλοιτο κάλλος.

Xen. pag. 331, 20. πάντες ἰδόντες Ἁβροκόμην ἐκείνων ἐπελάθοντο ἔτρεψαν δὲ τὰς ὄψεις ἐπ' αὐτόν. —

Heliod pag. 80, 12. ἀλλὰ τούτους τοιούτους ὄντας οὕτως ὑπερεῖδε καὶ παρέδραμεν ἡ τῶν παρόντων ὄψις καὶ πρὸς τὸν ἵππαρχον ἅπας ἐπέστρεψεν.

Xen. pag. 332, 3 sq. ὡς οὖν ἐτετέλεστο ἡ πομπή... καὶ ὁ τῆς πομπῆς κόσμος ἐλέλυτο .... ἐνταῦθα ὁρῶσιν ἀλλήλους... καὶ ἐνεώρα τε συνεχέστερον τῇ κόρῃ καὶ ἀπαλλαγῆναι τῆς ὄψεως ἐθέλων οὐκ ἐδύνατο. —

Heliod. pag. 84, 12 sq. τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀτενεῖς ἐπὶ πολὺ κατ' ἀλλήλων πήξαντες .... 30 sq. ἐπεὶ δὲ ὀψέ ποτε καὶ ὥσπερ βιαίως τῆς κόρης ἀποσπώμενος ὁ Θεαγένης ὑπέθηκε τὸ λαμπάδιον καὶ τὸν βωμὸν ἀνῆψε, λέλυτο μὲν ἡ πομπή. —

Tantam et rerum et verborum similitudinem sine imitatione effici non potuisse iam pro certo sumendum esse puto.

Duabus autem rebus satis demonstrari videtur, Heliodorum imitatorem esse. Etenim a Xenophonte discessus Habrocomis ab Anthia confectis sacris his verbis describitur:

Xen. pag. 332. 18. Καὶ τότε μὲν θύσαντες ἀπηλλάττοντο λυπούμενοι καὶ τῷ τάχει τῆς ἀπαλλαγῆς μεμφόμενοι καὶ ἀλλήλους βλέπειν ἐθέλοντες ἐπιστρεφόμενοι καὶ ὑφιστάμενοι πολλὰς προφάσεις διατριβῆς εὕρισκον.

Hoc, quod aptissime dictum esse de adulescentulis primo et quasi puerili amore captis nemo non fateatur, in Heliodori pompae descriptione omissum est. Scilicet non quadrabat eo loco, cum Theagenis eiusque comitum convivium eam pompam excipiat. Heliod. pag. 84, 32 sq. πρὸς εὐωχίαν τῶν Θετταλῶν τραπέντον, ὁ δὲ ἄλλος δῆμος ἐπ' οἶκον τὸν ἴδιον ἕκαστος ἀνεχώρησεν.

Sed alio loco multo minus idoneo, ubi Arsacen repentino et immodico quodam Theagenis amore correptam esse narratur, simillimis verbis usus Heliodorus dicit: pag. 189, 26 ἀπεχώρει δὲ καὶ ἡ Ἀρσάκη μόλις μὲν καὶ πολλάκις ἀναστρέφουσα (καὶ πλείονι θεραπείᾳ δῆθεν τῇ περὶ τὴν θεὸν ἐναλύουσα) πλὴν ἀλλ' ἀπεχώρει γε ὀψέ ποτε, καὶ θαμὰ πρὸς τὸν Θεαγένην ἕως ἐξῆν ἐπιστρέφουσα. —

Quam inepte ea dicta sint de sorore regis Persarum eademque satrapis Aegypti uxore, femina regio spiritu elata (Heliod. pag. 179, 19 seq. τό τε φρόνημα ἐξ εὐγενείας ὑπέρογκος καὶ οἷον εἰκὸς τὴν ἀδελφὴν βασιλέως τοῦ μεγάλου γεγονυῖαν) ipse scriptor sensisse ob eamque rem haec verba addidisse videtur: καὶ πλείονι θεραπείᾳ δῆθεν e. q. s., neque tamen ut quidquam omitteret aut immutaret a se potuisse impetrare.

Maxima profecto suspicio est hoc ex pompae descriptione Xenophontis sumptum et multo minus idoneo loco positum esse: Neque enim ita felix imitator Heliodorus esse solet.

Venio nunc ad alteram rem, quam huc pertinere arbitror. Eodem enim loco Xenophon Anthiam cum Diana dea comparat atque adeo tamquam ipsam deam adoratam esse narrat. Xen. pag. 331, 8 sq. πολλάκις αὐτὴν ἐπὶ τοῦ τεμένους ἰδόντες Ἐφέσιοι προσεκύνησαν ὡς Ἄρτεμιν. Καὶ τότ' οὖν ὀφθείσης ἀνεβόησε τὸ πλῆθος, καὶ ἦσαν ποικίλαι παρὰ τῶν θεωμένων φωναί, τῶν μὲν ὑπ' ἐκπλήξεως τὴν θεὸν εἶναι λεγόντων, τῶν δὲ ἄλλην τινὰ ὑπὸ τῆς θεοῦ περι(πε)ποιημένην. — Quo magis autem perspiciatur, quanti momenti hoc sit ad quaestionem persolvendam, omnes ei loci apponendi sunt, quibus Xenophon fabulae personas pro dis haberi fingit: pag. 329, 13 προσεῖχον δὲ ὡς θεῷ τῷ μειρακίῳ καί εἰσιν ἤδη τινὲς οἳ καὶ προσεύξαντο. —

pag. 341, 15. *συνήεσαν . . . οἱ Ῥόδιοι τὸ κάλλος τῶν παίδων καταπεπληγότες . . . οἱ μὲν ἔλεγον ἐπιδημίαν θεῶν, οἱ δὲ προσεκύνουν καὶ* π ρ ο σ ε π ο ι ο ῦ ν τ ο (lectio corrupta).

pag. 348, 1. *ἄνθρωποι βάρβαροι μήπω πρότερον τοσαύτην ἰδόντες εὐμορφίαν θεοὺς ἐνόμιζον εἶναι τοὺς βλεπομένους.* —

Qui igitur fit, ut in Heliodori pompae descriptione, alioquin simillima, cum ille nequaquam malignum laudatorem Charicleae pulchritudinis se praebeat, eius rei nulla mentio fiat? Facile erit ad hoc respondere examinatis eis locis, quibus Charicleam cum dea comparat aut pro dea haberi facit.

Heliod. pag. 5, 21. *οἱ μὲν θεόν τινα ἔλεγον, καὶ θεόν Ἄρτεμιν ἢ τὴν ἐγχώριον Ἶσιν, οἱ δὲ ἱέρειαν ὑπό του θεῶν ἐκμεμηνυῖαν.*

Hoc narratur de Aegyptiis latronibus Charicleam conspicatis eodem vestitu, quo in Delphica pompa ornatam. Eoque magis mirum est, si nihil simile Delphis ipsis evenisse narratur. Atque eodem in contextu paulo supra dicit pag. 4, 21. *ἀμήχανόν τι κάλλος καὶ θεὸς εἶναι ἀναπείθουσα* et infra pag. 9, 24. *τὸ κάλλος τῆς κόρης θεσπέσιόν τι χρῆμα περισκοποῦντες... αὐτὸ ἔμπνουν μετῆχθαι τὸ ἄγαλμα διὰ τῆς κόρης ὑπ' ἀγροικίας εἴκαζον* (sc. latrones Aegyptii) cf. praeterea pag. 153, 23. *αὐτὴν τὴν Ἄρτεμιν ὄψει προκαθημένην*, ubi Calasiris Charicleae pulchritudine laudanda praedonis cuiusdam cupiditatem lacessit.

Videmus Xenophontis fabulae personas promiscue et a Graecis et a barbaris pro dis haberi et adorari, quin etiam a civibus suis, qui eas optime nossent, apud Heliodorum autem amantes omnino nusquam adorari et tantummodo a feris et barbaris pastoribus Aegyptiis Charicleam pro dea haberi. Quae cum ita sint, recte mihi concludere videor, Heliodorum ea, quae in descriptione pompae Ephesiae de Anthia tamquam consecrata legerat, consilio omisisse, sive ab hominibus Graecis illius quidem aetatis, qua narrationem suam actam vult, ea abhorrere existimabat, sive religioni habebat honores divinos profanare. Item neque Achillem Tatium neque Longum eos, quos inducunt, amantes unquam supra humanam naturam efferre video, cum Chariton Xenophontem secutus Callirrhoën saepissime adorari et pro dea haberi faciat. Ipse autem Xenophon vestigia premit poëtarum eroticorum, qui si non dubitant personas suas ad divinos honores provehere, non est, quod miremur.

Complura igitur deteximus indicia in ea descriptione pompae, quibus Heliodorus imitationis coarguitur, prorsus nulla, quae nos eo adducant, ut Xenophontem Heliodori imitatorem iudicemus.

Iam transeamus ad alterum argumentum quod multo etiam gravius esse videtur.

Hoc argumentum eis continetur, quae uterque scriptor de fabulae personis a piscatore hospitio agresti receptis narrat. Etenim Habrocomes Xenophonteus Anthiae inveniendae causa in Siciliam profectus ab Aegialeo piscatore domo recipitur et cum eo aliquamdiu commoratur et ab eo accipit, qui factum sit, ut Lacedaemone in Siciliam profugeret et id vitae genus sequeretur. Hanc narrationis partem non mediocri nitere suavitate Rohde, Ephesii iudex severissimus, non negat (l. l. pag. 402), sed addit eam ex scriptore superioris aetatis sumptam esse videri.

Fac hoc verum esse, tamen non nisi de ipso argumento dici poterit, non item de expositionis et orationis forma atque simplicitate, qua lector delectatur. Eam ipsius Xenophontis esse facile concedetur, comparata Aegialei narratione cum Hippothoi (lib. III pag. 360) quam eundem colorem orationis prae se ferre, quin etiam magna ex parte eisdem verbis contineri nemo non videbit, ut est Ephesius minime varius et copiosus. Iam ipsum audiamus:

Xen. lib. III pag. 360, 12. *ἐγὼ . . . εἰμὶ τὸ γένος πόλεως Περίνθου . . . . τῶν τὰ πρῶτα ἐκεῖ δυναμένων.*

Xen. lib. V pag. 380, 14. *ἐγὼ . . . . οὔτε Σικελιώτης οὔτε ἐπιχώριος ἀλλὰ Σπαρτιάτης Λακεδαιμόνιος τῶν τὰ πρῶτα ἐκεῖ δυναμένων.* —

lib. III pag. 360, 15. *νέος ὢν ἠράσθην μειρακίου καλοῦ· ἦν δὲ τὸ μειράκιον τῶν ἐπιχωρίων· ὄνομα Ὑπεράνθης ἦν αὐτῷ.* —

lib. V pag. 380, 17. *νέος δὲ ὢν ἠράσθην κόρης πολίτιδος Θελξινόης τοὔνομα.* (Hoc ipsum „*ἐπιχωρίων*“ et „*πολίτιδος*“ Xenophontis proprium est, ut qui nunquam neglegat dicere, fabulae suae personas ingenuas et cives, non advenas aut incolas esse. cf. pag. 329, 2 *ἐκ γυναικὸς ἐπιχωρίου γίνεται παῖς*; pag. 330, 27 *θυγάτηρ Μεγαμήδους καὶ Εὐίππης ἐγχωρίων.*)

lib. III pag. 360, 19. *ἑορτῆς ἀγομένης ἐπιχωρίου καὶ παννυχίδος ἐπ' αὐτῆς πρόσειμι τῷ Ὑπεράνθῃ.* —

lib. V pag. 380, 19. *καὶ τῇ πόλει παννυχίδος ἀγομένης συνήλθομεν ἀλλήλοις.*

lib. III pag. 360, 26. *καὶ χρόνῳ συνῆμεν πολλῷ στέργοντες ἀλλήλους διαφερόντως, ἕως δαίμων τις ἡμῖν ἐνεμέσησε.*

lib. V pag. 380, 21. *καί χρόνῳ τινὶ ἀλλήλοις συνῆμεν λανθάνοντες καὶ ὠμόσαμεν ἀλλήλοις πολλάκις στέρξειν καὶ μέχρι θανάτου· ἐνεμέσησε δέ τις ἄρα δαίμων.* —

lib. III pag. 362, 29. *ἔτι λέγοντος αὐτοῦ συνανεθρήνησεν ὁ Ἱππόθοος λέγων· ὦ πατέρες ἐμοί, ὦ πατρίς . . . σὺ μὲν οὖν, Ἁβροκόμη, καὶ ὄψει τὴν ἐρωμένην καὶ ἀπολήψει χρόνῳ ποτέ· ἐγὼ δὲ Ὑπεράνθην ἰδεῖν οὐκέτι δυνήσομαι.* —

lib. V pag. 381, 24 sqq. *ἔτι λέγοντος τοῦ Αἰγιαλέως ἀνωδύρετο ὁ Ἁβροκόμης, σὲ δέ, λέγων, ὦ πασῶν δυστυχεστάτη κόρη, πότε ἀνευρήσω κἂν νεκράν; Αἰγιαλεῖ μὲν γὰρ τοῦ βίου μεγάλη παραμυθία τὸ σῶμα τὸ Θελξινόης . . . . ἐγὼ δὲ πλανῶμαι.* —

Utramque narrationem una forma, ut ita dicam, percussam esse, apertum est. — Accedunt locutiones quaedam, quibus Xenophon etiam aliis locis utitur. Quod dicit, Habrocomem ab Aegialeo filii loco habitum et eximie dilectum esse (pag. 380, 9 *παῖδα ἐνόμιζεν αὐτοῦ καὶ ἠγάπα διαφερόντως*) idem duobus aliis locis usurpat, ubi agitur de familiaritate inter iuniores et seniores facta. Pag. 355, 8 scribit Leucona et Rhoden, amantium famulos, seni cuidam veniisse et ab eo magnopere observatos et filiorum loco habitos esse (*αὐτοὺς εἶχε μετὰ πάσης ἐπιμελείας, παῖδας αὐτοῦ νομίζων*) Similiter pag. 376, 26 legitur, ipsum Habrocomem in Aegypto a milite quodam emerito emptum et pro filio habitum esse. (*ὁ μὲν δὴ Ἄραξος ἠγάπα τὸν Ἁβροκόμην καὶ παῖδα ἐποιεῖτο.*)

„*Διαφερόντως*“ cum verbo amandi iunctum, vocabulum Xenophonti non minus usitatum est: pag. 350, 7 *στέργεσθαι διαφερόντως ὑπὸ σοῦ πεπίστευκα* . . . . pag. 360, 27 *στέργοντες ἀλλήλους διαφερόντως.* —

Atque omnino in tota Aegialei narratione prorsus nihil invenire possumus, quod ab Xenophontis dicendi genere abhorreat.

Quid quod incertum est, an ne inventionis quidem laudem ei abrogare nobis liceat? Etsi hoc ita acceptum velim, ut ei exempla, quae sequeretur, non defuisse existimemus.

Etenim Theocritus (id. 1, 39—45) testis est, piscatorum vitae simplici et arti operosae describendae poëtas Alexandrinos libenter operam dedisse, ex quibus totum hoc fabulatorum eroticorum genus pendet. Iam vero Dionis Chrysostomi exemplum, cuius Venatorem illis temporibus celebratissimum fuisse constat, (cf. Rohdium, pag. 509) potuit inducere Ephesium, ut Aegialei piscatoris simplici et beata vita depingenda illas laudes pro sua parte aemularetur. Neque illud praetermittendum esse puto, Hippothoi et Hyperanthis amorem et consuetudinem (lib. III pag. 360) pariter atque Aegialei et Thelxinoes (lib. V pag. 380) ab dei pervigilio initium capere, qua in re vel recentioris comoediae poëtas, vel id quod credere malim, suae aetatis mores Xenophon secutus esse potest. (cf. Rohdium l. l. pag. 385 adnot. 2.)

Multo etiam minus ea, quae de Thelxinoes mortuae corpore ab Aegialeo more Aegyptio condito et domi asservato scribit, (pag. 381) aliena sunt ab ipsius ingenio. Nam si quid omnino est inventionis in eo, sepulcris et funeribus excogitandis eum delectari apparet. Eiusmodi est, quod narrat Anthiam sopitam pro mortua sepultam et effracto sepulcro ab latronibus ablatam esse (lib. III pag. 368). Huc pertinet etiam, quod Anthia, ut ex lenonis plagis se extricet, morbo comitiali se corripi solere simulat, eumque morbum sibi incussum esse narrat ab homine recens sepulto, cum ipsa admotum parvula ad eius sepulcrum noctu accessisset (lib. V pag. 388). Hoc item factum esse fingit, cum dei pervigilium ageretur. De diligentia eius autem in funeribus enarrandis iam supra dictum est. Atque ea, quae dicit de Thelxinoes corpore condito, narrationi eo magis conveniunt, quod ipse Habrocomes corpus Anthiae quaerit, quam mortuam a latronibus ablatam esse falso arbitratur, et Aegialeum ob id ipsum beatum iudicat, quod corpus saltem mulieris amatae possideat, eiusque aspectu se consolari possit (pag. 381, 27 sq.). Raptus vero Thelxinoes (pag. 381) a raptu Hyperanthis non multum differt (pag. 361).

Nihil igitur causae est, cur credere cogamur, hanc narrationis partem a Xenophonte aliunde petitam esse. Sed quoquo modo res se habet, ex Heliodoro quidem petita esse non potest. Immo vero certissimum hic video argumentum ad sententiam nostram comprobandam.

Namque apud Heliodorum (lib. V pag. 139) Theagenes et Chariclea duce Calasiri iter in Aegyptum ingressi aliquamdiu Zacynthi morantur ibique et ipsi a piscatore,

nomine Tyrrheno, recipiuntur. Videamus nunc, quam similia uterque scriptor narret:

Xen. lib. V pag. 380, 4 sq. *Καὶ δὴ ἐνοικίζεται πλησίον τῆς θαλάττης παρὰ ἀνδρὶ Αἰγιαλεῖ πρεσβύτῃ, ἁλιεῖ τὴν τέχνην.*

Heliod. lib. V pag. 139, 15—20. *Καταγωγὴν σκεψόμενος αὐτοῦ που περὶ τὴν ἀκτὴν ἠρχόμην . . . . . ὀλίγον οὖν ὅσον προήκων ὁρῶ πρεσβύτην ἁλιευτικὸν πρόσθεν τῶν θυρῶν τῶν αὐτοῦ καθήμενον.*

Laetus uterque piscator hospitem recipit:

Xen. pag. 380, 8. *ὑπεδέξατο δὲ τὸν Ἁβροκόμην ἄσμενος.*

Heliod. pag. 140, 13. . . . *παρόντα με ἄσμενος ὁ Τυρρηνὸς ὑποδέχεται.*

Utriusque uxorem brevi ante mortuam esse narratur:

Xen. pag. 381, 9. *καὶ τέθνηκεν ἐνταῦθα οὐ πρὸ πολλοῦ Θελξινόη.*

Heliod. pag. 140, 9. *ἡ γὰρ μήτηρ αὐτοῖς οὐ πρὸ πολλοῦ τέθνηκεν.*

(Tyrrhenus de filiis suis cum Calasiri hospite loquitur.)

Utriusque hospites piscando tempus terunt:

Xen. pag. 382, 3 sq. *ὁ μὲν Ἁβροκόμης . . . διῆγεν ἐν Συρακούσαις, ἤδη καὶ τῆς τέχνης Αἰγιαλεῖ κοινωνῶν.*

Heliod. pag. 140, 23 sq. *τοῦ Τυρρηνοῦ τὰ μὲν καθ' ἑαυτὸν ἁλιεύοντος, τὰ δὲ καὶ ἡμῶν ἔστιν ὅτε τὴν σχολὴν διατιθεμένων καὶ συνεφαπτομένων τῆς ἄγρας.*

Uterque hospites paterno quodam amore prosequitur:

Xen. pag. 380, 8. *Ἁβροκόμην . . . . παῖδα ἐνόμιζεν αὐτοῦ καὶ ἠγάπα διαφερόντως.*

Heliod. pag. 141, 31. *ἐπόμνυμι . . . . ἦ μὴν αὐτόν τέ σε ὡς ἀδελφόν, παῖδάς τε τοὺς σοὺς ἴσα καὶ παισὶν ὁρᾶν τοῖς ἐμοῖς.*

Et rerum et vocabulorum tam mirum consensum fortuitum esse non posse, nemo non concedet. Atque meo quidem iudicio tantum momenti hic unus locus habet, ut ex eo solo satis demonstrari possit, non modo imitationis vinculo Nostros connexos esse, sed etiam Heliodorum imitatorem existimandum esse.

Plurimum autem ad nodum expediendum duas res valere iudico. Etenim supra expositum est illud „*παῖδα ἐνόμιζεν αὐτοῦ καὶ ἠγάπα διαφερόντως*“ a Xenophonte ex consuetudine quadam dictum esse. Quod igitur Heliodorus in eiusdem rei mentionem hoc ipso loco incidit, plus quam verisimile est illius exemplo eum adductum esse, ut ita scriberet. Sed huic rei minus tribuendum esse existimo, quam ei, quod Tyrrheni uxorem pariter atque Aegialei decessisse narratur. Quis enim non videt, cur Xenophon Aegialei uxorem mortuam esse scribat? Nempe Aegialei factum ut mirum quoddam amoris exemplum nobis proponit, qui a se impetrare non potuerit, ut corpus mortuae uxoris sepeliret, sed more Aegyptio conditum domi habeat et perinde, ac si vivat, cum ea loquatur eiusque aspectu se consoletur (pag. 381, 17 sq. *ἀεί τε ὡς ζώσῃ λαλῶ . . . . αὕτη με παραμυθεῖται βλεπομένη*). Ob eamque rem Habrocomem suam fortunam miserantem, Aegialei autem felicitati invidentem et eius amorem atque constantiam admirantem inducit: pag. 381, 25 sq. *ὦ πασῶν δυστυχεστάτη κόρη, πότε ἀνευρήσω κἂν νεκράν; Αἰγιαλεῖ μὲν γὰρ τοῦ βίου μεγάλη παραμυθία τὸ σῶμα τὸ Θελξινόης, καὶ νῦν ἀληθῶς μεμάθηκα, ὅτι ἔρως ἀληθινὸς ὅρον ἡλικίας οὐκ ἔχει· ἐγὼ δὲ πλανῶμαι μὲν κατὰ πᾶσαν γῆν καὶ θάλασσαν, οὐ δεδύνημαι δὲ οὐδὲν ἀκοῦσαι περὶ σοῦ.*

Quam commode hanc de Aegialei amore et fide narrationem Ephesius fabulae suae inseruerit, quippe quam universam nihil aliud esse velit nisi veri et incorrupti amoris exemplum, disputare sane quidem opus non est.

Quid autem Heliodori narratio sibi velit item scribentis, Tyrrheni piscatoris uxorem obisse, equidem prorsus dispicere nequeo. Ingeniosissimus enim scriptor nihil aliud habet nobis dicere, nisi mortua matre nutricem in casa Tyrrheni fuisse, quae filiolis eius educandis operam daret (Heliod. 140, 6 sq. *κἀμοὶ γὰρ παῖδες εἰσὶν ἔτι δύο συσσιτοῦντες, [οἱ προγενέστεροι δὲ γήμαντες οἴκου ἄρχουσι] καὶ τετάρτη τροφὸς ἡ τῶν παίδων*). Cuius nutricis praeterea mentio nulla fit. Profecto operae pretium non erat de matris morte verba facere, si nihil aliud ornamenti narrationi inde accessurum erat, nisi ut nutrix in matris locum substitueretur.

Sed hoc una omnino ratione intellegi potest. Videlicet ea Ephesiacorum narrationis pars, qua agitur de Aegialei piscatoris hospitio, apta videbatur Heliodoro, quam imitatione ascisceret. Itaque ea, quibus similiter se lectoris animum afficere posse arbitraretur, in suum librum transtulit, sed

temere et inconsiderate et sic, ut illam Ephesii suavitatem et dulcedinem nequaquam adaequaret. Iam satis demonstratum esse puto neque casui tantam similitudinem deberi et Heliodorum sua e Xenophonte petiisse.

Neque tamen alienum sit a proposito de gravissimo quodam argumento paucis disserere in genere scribendi et ipsis ingeniis Nostrorum posito, ad quod cum saepius recurrendum esse videam, tum nusquam mihi plus valere videtur, quam hoc loco. Namque Ephesii narratio, quamvis sit exilis et destituta ornamentis, nativam quandam et genuinam spirat venustatem et eo ipso placet, quod una simplicitate nixa omnem fucum rhetoricum aspernatur. Quo fit, ut libenter credamus, id quod scriptor nobis persuadere vult, Aegialeum piscatorem in summa paupertate beatam degere aetatem.

Contra Heliodorus, si ad narrationem eius universam spectamus, frigida quadam displicet garrulitate et eo peccat, quod mediocritatem orationis tenere nescit. Quo fit, ut, sive acriores animi commotiones sive teneriores affectus depingere conatur, aut ampullando tumidus aut insulse iocando ineptus fiat. De hoc maximo eius ingenii vitio Rohde pag. 449 dilucide disputavit.

Quam recte autem vir doctissimus iudicaverit, praeter alios hic declarat locus. Priusquam enim scriptor nos introducat in casam Tyrrheni et nobis vitam beatam hominis egentis, sed contenti ostendat, Tyrrhenum prope surdum inducit et scurrili colloquio ipsius et Calasiridis risum movere conatur. Idem frigide iocandi perversum studium alias nobis occurrit, cum scriptor aut admiratione aut misericordia lectoris animum percutere vult: nunquam fere non officit sibi, cum nescio quomodo insulsum aliquid et puerile narrationi admiscet. Satis erit pro multis exemplis unum afferre, quod legitur pag. 187, 9. Theagenes, incredibile dictu, Charicleam redeuntem et in amati amplexum advolantem non agnoscit et alapis repellit (*ὡς ἐνοχλοῦσαν καὶ τῇ θέᾳ . . . ἐμποδὼν ἱσταμένην καὶ διεῤῥάπισεν*).

Itaque scriptori non contingit, ut lectori Tyrrheni studium iniciat. Neque vero comparata Heliodori et Xenophontis narratione de piscatoris hospitio, etiamsi ea certiora indicia deessent, quae praesto esse vidimus, dubium esse poterat, uter utrum imitandum sibi proposuisset.

Sed ut summam earum omnium rerum faciam: non solum imitatorem Xenophontis, sed ne felicem quidem in imitando Heliodorum esse apparet.[1])

Sunt autem alia quaedam, quibus sententia nostra confirmatur. Inprimis huc pertinere arbitror, quae Xenophon habet de fide amantium iureiurando et foedere confirmata, quod pactum in eius narratione identidem commemoratur. Priusquam enim mala et pericula amantium enarrare incipiat, fingit eos gravissimo iureiurando inter se obstringentes, se fidem coniugii in perpetuum inviolatam servaturos neque unquam novo amori sese dedituros esse, si fatum ferat, ut una aetatem agere nequeant. Cum vero nihil aliud agat toto libello, nisi ut exemplum veri et incorrupti amoris nobis proponat, aptissime narrationem ita instituere videtur. Scilicet hoc iusiurandum quasi praesidium amantium esse vult, quo se tueantur ab illecebris illiciti amoris et a minis hominum praepotentium, in quorum manus incasuri sunt. Et primum quidem iurant vixdum Epheso profecta nave, Apollinis sinistro oraculo, opinor, perterriti, etiamsi nihildum periculi est: Xen. pag. 340, 23 sq. . . . . *ἂν δ᾽ ἄρα τι ᾖ πεπρωμένον παθεῖν, καί πως ἀλλήλων ἀπαλλαγῶμεν, ὀμόσωμεν ἑαυτοῖς, φιλτάτη. ὡς σὺ μὲν ἐμοὶ μενεῖς ἁγνὴ καὶ ἄλλον ἄνδρα οὐχ ὑπομενεῖς, ἐγὼ δὲ ὅτι οὐκ ἂν ἄλλῃ γυναικὶ συνοικήσαιμι . . . . Ὡς ὀμνύω γέ σοι τὴν πάτριον ἡμῖν θεὸν, τὴν μεγάλην Ἐφεσίων Ἄρτεμιν, καὶ ταύτην ἣν διανύομεν θάλατταν καὶ τὸν ἐπ᾽ ἀλλήλους ἡμᾶς καλῶς ἐκμήναντα θεόν, ὡς ἐγὼ καὶ βραχύ τι ἀποσπασθεῖσα σοῦ οὔτε ζήσομαι οὔτε τὸν ἥλιον ὄψομαι. Ταῦτα ἔλεγεν ἡ Ἄνθεια ἐπώμνυε δὲ καὶ ὁ Ἁβροκόμης, καὶ ὁ καιρὸς αὐτῶν ἐποίει τοὺς ὅρκους φοβερωτέρους.*

Primo autem fortunae impetu in eos facto iusiurandum renovant et confirmant: pag. 345, 9 *ἔκειντο ἄθυμοι . . . . συνεχὲς ὀμνύοντες τηρήσειν τὰ συγκείμενα.* cf. etiam pag. 347, 9. *ταχέως τι τῶν ὅρκων (ἀναμνησθῆναι?) ἀναγκαζόμεθα.*

---

[1]) Cum Nostrorum narratione comparandus est locus similis Historiae Apollonii, regis Tyri, ed. Riese pag. 16, 1 sq. Piscator ut vidit prima specie iuvenem pedibus suis prostratum, misericordia motus levavit eum et tenuit manum eius et d u x i t i n f r a t e c t u m p a u p e r t a t i s s u a e et posuit epulas, quas potuit. Et ut plenius pietati suae satisfaceret, exuit se tribunario et in duas partes scidit aequales deditque unam iuveni dicens: tolle quod habeo et vade in civitatem; ibi forsitan invenies, qui misereatur tibi; si non inveneris, huc revertere. Paupertas quaecunque est sufficiet nobis; m e c u m p i s c a b e r i s.

Neque ita multo post alter ab alterius complexu di-
vellitur et fides eorum saepenumero in periculum et discrimen
vocatur; sed iurisiurandi et fidei interpositae nunquam im-
memores sese castos purosque conservant, donec ex rerum
adversarum fluctibus emersi inter sese recuperant.

Habrocomes quidem ab Mantho, domini filia, ad amo-
rem sollicitatus statim iurisiurandi reminiscitur: pag. 349, 29.
δοῦλος μέν εἰμι. ἀλλὰ συνθήκας οἶδα τηρεῖν . . . pag. 350, 1.
οὐ γὰρ ἄν ποτε πεισθείην ἑκὼν Ἄνθειαν ἀδικῆσαι.

Postea iterum a latronibus Aegyptiis captus et ven-
ditus ab novi domini uxore petitur, neque multum abest,
quin ei morigeretur, non quod illecebris mulierculae resistere
nequeat, quam scriptor foedissimam fingit, sed quia magni-
tudine miseriarum obrutus animo cadit; neque tamen iuris-
iurandi obliviscitur: pag. 372, 30. *πολλὰ ἅμα ἐσκόπει, τὴν
Ἄνθειαν, τοὺς ὅρκους, τὴν πολλάκις αὐτὸν σωφροσύνην ἀδική-
σασαν ἤδη· τέλος δὲ ἐγκειμένης τῆς Κυνοῦς συγκατατίθεται.* —
Sublato autem ab illa marito, foedam protervitatem mulieris
aversatus se homicidae morem gesturum negat et fidem in-
violatam servat, non ignarus se in novam calamitatem ob
id ipsum venturum esse.

Anthiae vero fides et constantia multo etiam clarius
elucet, ut quae neque dubitet unquam neque animo fluctuet.
Iterat iusiurandum, antequam ab Habrocome discedat: pag.
352, 28. *εἰς Συρίαν ἄγομαι . . . ἀλλ' ὀμνύω σοι τὸν ἀμφοτέρων
δαίμονα ὡς ἐγὼ μενῶ σὴ καὶ ζῶσα κἂν ἀποθανεῖν δεήσῃ.* —
Atque profecto mori potius constituit, quam ut fidem violare
animum inducat. A Perilao enim, Ciliciae irenarcha, in ma-
trimonium petita ipso nuptiarum die a medico quodam ve-
nenum postulat, cum aliter ex illius manibus effugere nequeat:
pag. 365, 15 sq. *λέγει δὴ αὐτῷ τόν Ἁβροκόμου ἔρωτα καὶ τοὺς
ὅρκους τοὺς πρὸς ἐκεῖνον καὶ τὰς περὶ τῆς σωφροσύνης
συνθήκας· καὶ εἰ μὲν ἦν ζῶσαν, ἔφη, μὲ ἀπολαβεῖν ζῶντα Ἁβρο-
κόμην ἢ λαθεῖν ἀποδρᾶσαν ἐντεῦθεν, περὶ τούτων ἂν ἐβουλευόμην·
ἐπειδὴ δὲ ὁ μὲν τέθνηκε, φυγεῖν δὲ ἀδύνατον καὶ τὸν μέλλοντα
ἀμήχανον ὑπομεῖναι γάμον, οὔτε γὰρ τὰς συνθήκας παρα-
βήσομαι τὰς πρὸς Ἁβροκόμην οὔτε τοὺς ὅρκους ὑπερόψομαι,
σὺ τοίνυν βοηθὸς ἡμῖν γενοῦ, φάρμακον εὑρών ποθεν, ὃ κακῶν
με ἀπαλλάξει τὴν κακοδαίμονα.*

Medicus autem pro veneno somniferum ei affert me-
dicamentum, quo epoto, iam morituram sese esse rata excla-
mat: pag. 367, 11 *ὦ φιλτάτου Ἁβροκόμου ψυχή, ἰδού σοι τὰς
ὑποσχέσεις ἀποδίδωμι καὶ ὁδὸν ἔρχομαι τὴν παρὰ σέ* . . .

Conferendae sunt etiam preces, quibus Isim deam
adit, ut eius auxilio in servanda fide iuvetur: pag. 376, 13.
*ὦ μεγίστη θεῶν. μέχρι μὲν νῦν ἁγνὴ μένω λογιζομένη σή, καὶ γά-
μον ἄχραντον Ἁβροκόμῃ τηρῶ· τοὐντεῦθεν δὲ ἐπὶ Ἰνδοὺς ἔρχομαι,
μακρὰν μὲν τῆς Ἐφεσίων γῆς, μακρὰν δὲ τῶν Ἁβροκόμου λειψά-
νων. Ἢ σῶσον οὖν ἐντεῦθεν τὴν δυστυχῆ καὶ ζῶντι ἀπόδος Ἁ-
βροκόμῃ ἢ εἰ πάντως εἵμαρται χωρὶς ἀλλήλων ἀποθανεῖν, ἔργασαι
τοῦτο, μεῖναί με σωφρονοῦσαν τῷ νεκρῷ.* — Eodem pertinet
pag. 377, 22 *πολλάκις ἀνεβόα εἴ ποτε λαθεῖν ἠδύνατο· Ἁβροκό-
μου μόνου γυνὴ μενῶ, κἂν ἀποθανεῖν δέῃ, κἂν ὧν πέπονθα χείρω
παθεῖν.* —

Quin etiam desperata Habrocomis fide ipsa in officio
manere non dubitat, pag. 390, 11. *Ἁβροκόμης μὲν εἰ καὶ
τοὺς ὅρκους παραβέβηκε, μηδὲν οἱ θεοὶ τιμωρήσαιντο τοῦτον·
ἴσως ἀνάγκῃ τι εἴργασται· ἐμοὶ δὲ καλῶς ἔχει ἀποθανεῖν σωφρο-
νούσῃ.* —

Postremo Anthia ab Hippothoo, Habrocomis amico,
emitur, qui inscius fortunae eius et captus eius pulchritudine
ad amorem eam sollicitare conatur. Extremum est, ut illa
disiectis eis artibus, quibus impetum eius eludere studet, ea,
quae ante tacuerat, patefacere et amorem eius deprecari co-
gatur: pag. 392, 11. *κάλλιον εἶναι νομίζουσα εἰπεῖν πάντα
αὐτῷ τὰ ἀπόῤῥητα ἢ παραβῆναι τὰς πρὸς Ἁβροκόμην
συνθήκας, λέγει τὸν Ἁβροκόμην, τὴν Ἔφεσον, τὸν ἔρωτα,
τοὺς ὅρκους, τὰς συμφοράς, τὰ λῃστήρια καὶ συνεχὲς Ἁβροκόμην
ἀνωδύρετο.*

Quibus rebus cognitis Hippothous eam, ut amicissimi
uxorem, honorifice tractat et Ephesum in patriam reducere
parat. In eo itinere Habrocomem recuperat. Ne tum qui-
dem de iureiurando eum monere neglegit, neque desunt mu-
tuae affirmationes fidei et castitatis servatae: pag. 398, 18 sq.
*ἀλλ' ἥκω σοι τοιαύτη, τῆς ἐμῆς ψυχῆς Ἁβροκόμη δέσποτα, οἵα
τὸ πρῶτον ἀπηλλάγην εἰς Συρίαν ἐκ Τύρου· ἔπεισε δέ με ἁμαρτεῖν
οὐδείς . . . ἀλλ' ἁγνὴ μένω σοι πᾶσαν σωφροσύνης μηχανὴν πε-
ποιημένη· σὺ δὲ ἄρα, Ἁβροκόμη, σώφρων ἔμεινας ἤ μέ τις παρευ-
δοκίμησεν ἄλλη καλή; ἢ μή τις ἠνάγκασέ σε ἐπιλαθέσθαι
τῶν ὅρκων τε κἀμοῦ;* . . . . *ὁ δὲ Ἁβροκόμης, ἀλλ' ὀμνύω
σοι, φησί, τὴν μόγις ἡμῖν ἡμέραν ποθεινὴν εὑρημένην ὡς οὔτε
παρθένος ἐμοί τις ἔδοξεν εἶναι καλή, οὔτ' ἄλλη ὀφθεῖσα γυνή,
ἀλλὰ τοιοῦτον εἴληφας Ἁβροκόμην οἷον ἐν Τύρῳ κατέλιπες ἐν
δεσμωτηρίῳ.*

Neque ita multo post alter ab alterius complexu divellitur et fides eorum saepenumero in periculum et discrimen vocatur; sed iurisiurandi et fidei interpositae nunquam immemores sese castos purosque conservant, donec ex rerum adversarum fluctibus emersi inter sese recuperant.

Habrocomes quidem ab Mantho, domini filia, ad amorem sollicitatus statim iurisiurandi reminiscitur: pag. 349, 29. *δοῦλος μέν εἰμι. ἀλλὰ συνθήκας οἶδα τηρεῖν* . . . pag. 350, 1. *οὐ γὰρ ἄν ποτε πεισθείην ἑκὼν Ἄνθειαν ἀδικῆσαι.*

Postea iterum a latronibus Aegyptiis captus et venditus ab novi domini uxore petitur, neque multum abest, quin ei morigeretur, non quod illecebris mulierculae resistere nequeat, quam scriptor foedissimam fingit, sed quia magnitudine miseriarum obrutus animo cadit; neque tamen iurisiurandi obliviscitur: pag. 372, 30. *πολλὰ ἅμα ἐσκόπει, τὴν Ἄνθειαν, τοὺς ὅρκους, τὴν πολλάκις αὐτὸν σωφροσύνην ἀδικήσασαν ἤδη· τέλος δὲ ἐγκειμένης τῆς Κυνοῦς συγκατατίθεται.* — Sublato autem ab illa marito, foedam protervitatem mulieris aversatus se homicidae morem gesturum negat et fidem inviolatam servat, non ignarus se in novam calamitatem ob id ipsum venturum esse.

Anthiae vero fides et constantia multo etiam clarius elucet, ut quae neque dubitet unquam neque animo fluctuet. Iterat iusiurandum, antequam ab Habrocome discedat: pag. 352, 28. *εἰς Συρίαν ἄγομαι . . . ἀλλ' ὀμνύω σοι τὸν ἀμφοτέρων δαίμονα ὡς ἐγὼ μενῶ σὴ καὶ ζῶσα κἂν ἀποθανεῖν δεήσῃ.* — Atque profecto mori potius constituit, quam ut fidem violare animum inducat. A Perilao enim, Ciliciae irenarcha, in matrimonium petita ipso nuptiarum die a medico quodam venenum postulat, cum aliter ex illius manibus effugere nequeat: pag. 365, 15 sq. *λέγει δὴ αὐτῷ τόν Ἁβροκόμου ἔρωτα καὶ τοὺς ὅρκους τοὺς πρὸς ἐκεῖνον καὶ τὰς περὶ τῆς σωφροσύνης συνθήκας· καὶ εἰ μὲν ἦν ζῶσαν, ἔφη, με ἀπολαβεῖν ζῶντα Ἁβροκόμην ἢ λαθεῖν ἀποδρᾶσαν ἐντεῦθεν, περὶ τούτων ἂν ἐβουλευόμην· ἐπειδὴ δὲ ὁ μὲν τέθνηκε, φυγεῖν δὲ ἀδύνατον καὶ τὸν μέλλοντα ἀμήχανον ὑπομεῖναι γάμον, οὔτε γὰρ τὰς συνθήκας παραβήσομαι τὰς πρὸς Ἁβροκόμην οὔτε τοὺς ὅρκους ὑπερόψομαι, σὺ τοίνυν βοηθὸς ἡμῖν γενοῦ, φάρμακον εὑρών ποθεν, ὃ κακῶν με ἀπαλλάξει τὴν κακοδαίμονα.*

Medicus autem pro veneno somniferum ei affert medicamentum, quo epoto, iam morituram sese esse rata exclamat: pag. 367, 11 *ὦ φιλτάτου Ἁβροκόμου ψυχή, ἰδού σοι τὰς ὑποσχέσεις ἀποδίδωμι καὶ ὁδὸν ἔρχομαι τὴν παρὰ σέ . . .*

Conferendae sunt etiam preces, quibus Isim deam adit, ut eius auxilio in servanda fide iuvetur: pag. 376, 13. *ὦ μεγίστη θεῶν. μέχρι μὲν νῦν ἁγνὴ μένω λογιζομένη σή, καὶ γάμον ἄχραντον Ἁβροκόμῃ τηρῶ· τοὐντεῦθεν δὲ ἐπὶ Ἰνδοὺς ἔρχομαι, μακρὰν μὲν τῆς Ἐφεσίων γῆς, μακρὰν δὲ τῶν Ἁβροκόμου λειψάνων. Ἢ σῶσον οὖν ἐντεῦθεν τὴν δυστυχῆ καὶ ζῶντι ἀπόδος Ἁβροκόμῃ ἢ εἰ πάντως εἵμαρται χωρὶς ἀλλήλων ἀποθανεῖν, ἔργασαι τοῦτο, μεῖναί με σωφρονοῦσαν τῷ νεκρῷ.* — Eodem pertinet pag. 377, 22 *πολλάκις ἀνεβόα εἴ ποτε λαθεῖν ἠδύνατο· Ἁβροκόμου μόνου γυνὴ μενῶ, κἂν ἀποθανεῖν δέῃ, κἂν ὧν πέπονθα χείρω παθεῖν.* —

Quin etiam desperata Habrocomis fide ipsa in officio manere non dubitat, pag. 390, 11. *Ἁβροκόμης μὲν εἰ καὶ τοὺς ὅρκους παραβέβηκε, μηδὲν οἱ θεοὶ τιμωρήσαιντο τοῦτον· ἴσως ἀνάγκῃ τι εἴργασται· ἐμοὶ δὲ καλῶς ἔχει ἀποθανεῖν σωφρονούσῃ.* —

Postremo Anthia ab Hippothoo, Habrocomis amico, emitur, qui inscius fortunae eius et captus eius pulchritudine ad amorem eam sollicitare conatur. Extremum est, ut illa disiectis eis artibus, quibus impetum eius eludere studet, ea, quae ante tacuerat, patefacere et amorem eius deprecari cogatur: pag. 392, 11. *κάλλιον εἶναι νομίζουσα εἰπεῖν πάντα αὐτῷ τὰ ἀπόρρητα ἢ παραβῆναι τὰς πρὸς Ἁβροκόμην συνθήκας, λέγει τὸν Ἁβροκόμην, τὴν Ἔφεσον, τὸν ἔρωτα, τοὺς ὅρκους, τὰς συμφοράς, τὰ ληστήρια καὶ συνεχὲς Ἁβροκόμην ἀνωδύρετο.*

Quibus rebus cognitis Hippothous eam, ut amicissimi uxorem, honorifice tractat et Ephesum in patriam reducere parat. In eo itinere Habrocomem recuperat. Ne tum quidem de iureiurando eum monere neglegit, neque desunt mutuae affirmationes fidei et castitatis servatae: pag. 398, 18 sq. *ἀλλ' ἥκω σοι τοιαύτη, τῆς ἐμῆς ψυχῆς Ἁβροκόμη δέσποτα, οἵα τὸ πρῶτον ἀπηλλάγην εἰς Συρίαν ἐκ Τύρου· ἔπεισε δέ με ἁμαρτεῖν οὐδείς . . . ἀλλ' ἁγνὴ μένω σοι πᾶσαν σωφροσύνης μηχανὴν πεποιημένη· σὺ δὲ ἆρα, Ἁβροκόμη, σώφρων ἔμεινας ἢ μέ τις παρευδοκίμησεν ἄλλη καλή; ἢ μή τις ἠνάγκασέ σε ἐπιλαθέσθαι τῶν ὅρκων τε κἀμοῦ; . . . ὁ δὲ Ἁβροκόμης, ἀλλ' ὀμνύω σοι, φησί, τὴν μόγις ἡμῖν ἡμέραν ποθεινὴν εὑρημένην ὡς οὔτε παρθένος ἐμοί τις ἔδοξεν εἶναι καλή, οὔτ' ἄλλη ὀφθεῖσα γυνή, ἀλλὰ τοιοῦτον εἴληφας Ἁβροκόμην οἷον ἐν Τύρῳ κατέλιπες ἐν δεσμωτηρίῳ.*

Iam redeo eo, unde profectus sum, hoc tamquam vinculo quodam narrationem Xenophontis contineri, eumque hanc rem ab initio susceptam usque ad finem tenuisse neque a proposito aberravisse. Neque me fugit, quam inscite ille magis in iureiurando, quam in ipso amore, qui alterum alterius oblivisci non sineret, fidem eorum reposuerit. Sed ipsa inscitia scriptoris demonstrat, eum suo Marte rem egisse neque alterius inventum adscivisse.

Videamus nunc, quomodo idem ab Heliodoro tractetur. Quamquam enim ea re omnino opus non sit, cum apud eum amantes vix semel bisve ad paucos dies inter se discedere cogantur, ceteroquin omnia mala et pericula una subeant, tamen et ipse iusiurandum et pactum quoddam amantium instituit. Nam etsi eius pacti caput est, ut Theagenes iuret se Charicleae consuetudine abstenturum esse, donec eam iusto matrimonio secum conjungere possit (pag. 117, 30 sq.) tamen addit pag. 118, 11 *καὶ οἱ μὲν ταῦτα καὶ ἕτερ' ἄττα πρὸς τούτοις ἐπὶ μάρτυσι τοῖς θεοῖς ὡμολόγουν ἀλλήλοις.*

Hoc *ἕτερ' ἄττα* summam movet suspicionem ea, quae dicit Heliodorus de pacto et foedere amantium facto, priusquam labores et pericula eorum initium capiant, e Xenophonte temere translata esse. Quamquam enim ipse scriptor non curat nobis dicere illos mutuam fidem iureiurando confirmasse, tamen hoc uno „*ἕτερ' ἄττα*“ adiecto illud nos intellegere et supplere vult. Theagenes quidem se a Chariclea proditum esse ratus fidei iuratae eam commonefacit: pag. 30, 14 *καὶ τί γένοιτ' ἂν καινότερον ἢ τί ἀθεμιστότερον ὅρκων μὲν καὶ σπονδῶν παραβαινομένων, Χαρικλείας δὲ λήθην ἐμοῦ λαβούσης καὶ πρὸς ἄλλων γάμους ἐπινευούσης;* —

His autem verbis „*ὅρκων καὶ σπονδῶν παραβαινομένων*“ nihil aliud significari potest, quam illud „*ἕτερ' ἄττα*“, quippe cum aliud amantium iusiurandum ante id tempus nullum commemoretur. Omnino autem semel postea Theagenes et Chariclea fidem inter se confirmant in ipso capitis discrimine pag. 236, 29.

Quanta temeritate et neglegentia Heliodorus rem egerit, quis est, quin videat? Duo igitur gravissima indicia eum imitationis convincunt, et quod ea narrationi inserit, quae res postulare non videatur, et quod tam indiligenter et temere inserit, ut narrationis partes inter se non conveniant.

Ex ceteris eroticis unus Longus simile amantium iusiurandum habet: pag. 283, 2 sq. *ὁ μὲν δὴ Δάφνις ὤμοσε . . .*

μὴ ζήσεσθαι μόνος ἄνευ Χλόης μηδὲ μιᾶς χρόνον ἡμέρας· ἡ δὲ Χλόη . . . . . τὸν αὐτὸν Δάφνιδι ἕξειν καὶ θάνατον καὶ βίον, quod est conferendum cum Xen. pag. 341, 2 *ἐγὼ καὶ βραχύ τι ἀποσπασθεῖσα σοῦ οὔτε ζήσομαι οὔτε τὸν ἥλιον ὄψομαι,* et pag. 337, 16 *τὸν ἐραστὴν ἔχεις ἄνδρα, μεθ' οὗ ζῆν καὶ ἀποθανεῖν ὑπάρξει γυναικὶ σώφρονι.*

Chariton et Achilles Tatius nihil tale scripserunt, neque pro earum fabularum dispositione scribere potuerunt.

Cum hoc argumento autem arte cohaeret aliud quoddam ductum ex summo consensu scriptorum in enarrandis eis ipsis sollicitationibus, quibus fides et pudicitia amantium tentatur, id quod saepenumero fieri in eo genere fabularum consentaneum est. Et is consensus quidem eiusmodi est, ut Heliodorus tantum non omni ex parte cum Xenophonte congruat, cum Achilles Tatius et Chariton inter se aliquatenus consentientes a Nostris multum differant. — Ut unum saltem locum ex illis exempli gratia apponam, apud Charitonem oratio, qua eunuchus Callirrhoen regi Persarum conciliare conatur. his verbis incipit: Char. pag. 113, 15. *μεγάλων ἀγαθῶν, ὦ γύναι, θησαυρόν σοι κεκόμικα· σὺ δὲ μνημόνευέ μου τῆς εὐεργεσίας, εὐχάριστον γάρ εἶναί σε πιστεύω . . .*

Apud Achillem Tatium autem Sosthenes, Thersandri villicus, eodem lenonis munere fungens Leucippen sic alloquitur: Ach. Tat. pag. 158, 28. *ἥκω σοι φέρων σωρὸν ἀγαθῶν, ἀλλ' ὅπως εὐτυχήσασα μὴ ἐπιλήσῃ μου.*

Ut vero tanta similitudo concludere nos cogit imitationem hic subesse, ita multo etiam evidentior consensus Ephesii et Emeseni nos invitat, ut inquiramus, uter utrum imitatus sit. Consentiunt autem maxime eo, quod uterque, quo maiore animi dolore amantes excrucientur, coram amata eos facit ab alia femina peti atque sollicitari, et quod utraque puella parem et eandem prae se fert animi magnitudinem, ut parata sit vel amoris iacturam facere, dummodo vir amatus incolumis servetur, neque tamen amatoriam aemulationem penitus exuere potest. (Xen. pag. 348, 27 sq. 349, 14 sq. — Heliod. pag. 204—207.)

Qua in re Xenophontis narratio et suavitatis et veritatis laude digna esse videtur. Apud eum enim Mantho, amore insano Habrocomis flagrans, ipsos amantium famulos adhibet, quorum opera cupiditatem expleat. Ex quibus altera, cui Rhode nomen est, ab initio desperat animum Habrocomis

ab Anthia averti posse (pag. 369, 10 *τὸ δὲ ἀποζεῦξαι Ἀβροκόμην Ἀνθείας ἀδύνατον*). Leuco autem iram Manthus, ut feminae barbarae, veritus (pag. 349, 11 *μεγάλας ἐκ τούτων συμφορὰς προσδοκῶν*) rem sibi suscipit et ipsa Anthia praesente de amore et minis illius Habrocomi renuntiat. Deinde describitur huius indignatio et constantia, illius autem animi magnitudo, omnibus suis commodis amati salutem praeferentis. Ea quomodo se gesserit in hoc discrimine praecipue cum Charicleae Heliodoreae facto comparandum est: Xen. pag. 350, 5 sq. *ἔχω μὲν, Ἁβροκόμη, τὴν εὔνοιαν τὴν σὴν καὶ στέργεσθαι διαφερόντως ὑπὸ σοῦ πεπίστευκα· ἀλλὰ δέομαι σοῦ, τῆς ψυχῆς τῆς ἐμῆς δέσποτα, μὴ προδῷς σεαυτὸν μηδὲ εἰς ὀργὴν ἐμβάλῃς βαρβαρικήν, συγκατάθου δὲ τῇ τῆς δεσποίνης ἐπιθυμίᾳ· κἀγὼ ὑμῖν ἄπειμι ἐκποδών, ἐμαυτὴν ἀποκτείνασα. Τοσοῦτον σοῦ δεήσομαι, θάψον αὐτὸς καὶ φίλησον πεσοῦσαν καὶ μέμνησο Ἀνθείας. Ταῦτα πάντα εἰς μείζονα συμφορὰν τὸν Ἁβροκόμην ἦγε* e. q. s.

Si quid in ea re video, amor angorque Anthiae dulcissime et elegantissime depingitur.

Iam videamus, quomodo Heliodorus similem rem exponat. Apud eum Theagenes et Chariclea eodem loco sunt, quo personae fabulae Xenophontis. Arsace enim, satrapis Aegypti uxor, Cybeles cuiusdam vetulae opera Theagenem corrumpere conatur. Sed nescio quomodo, quae illic simpliciter et vere sine ulla exornatione exponuntur, eadem hic absurde exaggerantur. Chariclea enim non solum in eo colloquio interest, sed scriptor fingit eam a Cybele vetula pro Theagenis sorore haberi. Itaque illa eam hortatur, ut et ipsa fratri persuadeat, ut Arsacae morem gerat: pag. 205, 20 *συμπαρακάλεσον, ὦ θύγατερ, καὶ σὺ τὸν . . ἀδελφόν σου τοῦτον, συνοίσει καὶ σοὶ τὸ πρᾶγμα· οὐκ ἔλαττον ἀγαπηθήσῃ* e. q. s. Neque vero Charicleae animus ab ea re magnopere abhorret, ut quae respondeat: pag. 205, 32 sq. *συμβουλεύσαιμ' ἂν καὶ αὐτὴ Θεαγένει τούτῳ τὴν πρᾶξιν, εἰ τὸ ἀσφαλὲς αὐτῷ προσείη, μὴ ἀρνεῖσθαι, μὴ δή τι λάθοι κακὸν αὐτός τε ἑαυτὸν κἀκείνην ἐργασάμενος εἰ ταῦτα εἰς φῶς ἔλθοι* . . . Sed ne remota quidem Cybele minorem animi aequitatem prae se fert, id unum veretur, ne Theagenes usu et consuetudine eo delabatur, ut amore turpi Arsaces delectetur: (pag. 206, 27 sq. *ἀλλ' ὦ Θεάγενες, ὅπως μὴ ἐκ τῆς μελέτης εἰς τὸ αἰσχρὸν τοῦ πράγματος κατολισθήσῃς*). Ea ipsa verba autem Theageni amatoriam aemulationem redolere videntur, de qua Charicleae obicere non dubitat: pag. 206, 29 sq. *ἀλλὰ σύγε οὐδὲ ἐν τοῖς δεινοῖς τὴν γυναικῶν ἔμφυτον νόσον ζηλοτυπίαν ἐκπέφευγας, ἐμὲ δὲ ἴσθι μηδὲ πλάσασθαι τὰ τοιαῦτα δύνασθαι.*

Quid evidentius est, quam alterum alterius exemplum secutum esse in eo, quod praesente amata et petitur uterque amans ab alia femina et utriusque fides et constantia spectatur, praesertim cum ceterorum eroticorum nemo simile quidquam scripserit? Quid autem tam apertum, quam Ephesium vix e longinquo vidisse, egregiam hanc esse occasionem eloquentiam exercendi et apparatum artis rhetoricae ostentandi? Neque tamen cuiquam dubium esse potest, quin, qamvis mediocris scriptor ipse sit, Heliodorum hoc loco longe longeque superaverit. Nulla quidem aemulationis amatoriae mentio apud eum fit, sed illud „*κἀγὼ ὑμῖν ἄπειμι ἐκποδών*" nonne satis declarat, quam acerbis amoris stimulis misera femina excrucietur? Contra quam inepte Chariclea Heliodorea loquitur, quam turpiter verecundiam muliebrem deponit, quam rustice vero Theagenes ei aemulationem exprobrat. Ne obscaenitatis quidem crimine scriptorem hoc loco plane carere arbitror, quod ceteroquin eum effugere conari inter omnes constat. Ut brevi praecidam, si imitatio omnino subest, Heliodorum non modo imitatorem esse, sed in imitando misere naufragium fecisse apparet. Subesse autem imitationem totum hoc sollicitationum caput apud Nostros documento est.

Namque Habrocomes Xenophonteus, postquam in manus piratarum cum Anthia incidit (pag. 345, 16 sq.) ab Euxino pirata sollicitatur, ut turpi amori Corymbi piratae obsequatur, rursusque Corymbus Anthiam adhortatur, ne Euxini libidini resistat. Eius quoque orationis apud Heliodorum diversis quidem locis sed simillimis in rebus manifesta vestigia sunt:

Xen. pag. 345, 24 (pirata Habrocomi capto promittit:) *καὶ πάντων ἕτοιμός ἐστι δεσπότην ποιεῖν τῶν ἑαυτοῦ.*

Heliod. pag. 148, 15 (pirata Charicleae captae pollicetur:) *καὶ ἴσθι δέσποινα σὺν ἡμῖν τῶνδε ἁπάντων ἐσομένη.*

Xen. pag. 345, 31 (idem pirata Habrocomem hortatur:) *πάντα ἀπόῤῥιψον, πρὸς μόνον δεῖ σε τὸν δεσπότην βλέπειν, τούτῳ κελεύσαντι ὑπακούειν.*

Heliod. pag. 201, 1 (Cybele Theagenem monet:) *ἀποῤῥιπτέον . . . . τοὺς ληρώδεις τούτους καὶ μειρακιώδεις τῷ ὄντι θρήνους, ὁρᾶν δὲ καὶ ῥυθμίζειν ἑαυτούς, εἴκειν τε καὶ ὑπηρετεῖσθαι τοῖς Ἀρσάκης βουλήμασι.*[1])

[1]) Hunc Heliodori locum leviter corruptum esse facile concedo, sed eis locis collatis a me impetrare non possum, ut Car. Ludov. Struvio assentiar, cuius haec sunt verba in Opuscul. Sec. Vol. I Heliod.

Et Habrocomes et Theagenes deliberandi spatium postulat:

Xen. pag. 346, 7 *ἐπίτρεψον, δέσποτα, βουλεύσασθαι βραχὺ καὶ πρὸς πάντα ἀποκρινοῦμαί σοι τὰ ῥηθέντα.*

Heliod. pag. 206, 9 *πέπαυσαι τὸ παρὸν καὶ ἔνδος ἡμῖν εἰς ἐπίσκεψιν.*

Uterque monetur, ne constantia sua in summum periculum rem deducat:

Xen. pag. 349, 21 sq. *σῶσον ἡμᾶς ἅπαντας καὶ μὴ περιίδῃς ὀργῇ δεσποτῶν ὑποπεσόντας* . . . . pag. 350, 8 *μὴ προδῷς σεαυτὸν μηδὲ εἰς ὀργὴν ἐμβάλῃς βαρβαρικήν.*

Heliod. pag. 207, 4 *μὴ λάθῃς εἰς μέγα κακὸν ἡμᾶς ἐμβάλλων.*

Ubi de Anthia et Chariclea tollenda agitur, eodem vocabulo uterque scriptor utitur.

Xen. pag. 350, 10 *κἀγὼ ὑμῖν ἄπειμι ἐκποδών.* — (pag. 350, 24 *τὴν νὺν σοὶ γυναῖκα ἀποσκευασόμεθα.*)

Heliod. pag. 226, 12 *τὴν ἐμποδὼν γενομένην ἐκποδὼν ποιησώμεθα.*

Hinc Mantho illinc Arsace eadem fere verba minacia iactat:

Xen. pag. 348, 27 *ἴσθι μὲν οἰκέτις οὖσα ἐμή.*

Heliod. pag. 210, 6 *δοῦλος ἡμέτερος ὢν ἴσθι.*

Ut vero tot consensus imitationem subesse demonstrant, ita collatis eis locis, quibus Habrocomis et Theagenis sollicitatio exponitur, nemo non facile concedet, Heliodorum illum Ephesii locum augendo et cumulando imitatum esse. Atque omnino non fere satis habet Ephesii inventa asciscere, sed ea amplificare et in maius extollere solet. Neque tamen ei contingere videmus, ut imitando ea elegantiora efficiat, id quod maxime perspicuum est, ubi ea imitatur, quae a Xenophonte perverse instituta sunt. Eiusmodi est, quod apud

pag. 251: „Corruptum esse *ὁρᾶν* vidit quoque Corayus in notis corrigitque *ὥρα δὲ καί*, quod per se spernendum non est; concinnitas tamen orationis infinitivum hoc loco postulare videtur; quapropter *ὡραΐζειν* tentavi.“ — Mihi vero persuasum est hunc locum arte cohaerere cum loco apposito Xenophontis, ex quo imitatione eum expressum esse apparet. Tribus verbis Xenophontis tria membra periodi apud Heliodorum respondere neminem fugiet; solet autem is amplificando imitari. Tenendum est igitur *ὁρᾶν*, reiciendum *ὡραΐζειν*.

utrumque scriptorem dux praedonum tamquam secundas fabulae partes agit.

Apud Xenophontem quidem Hippothous, dux latronum, non mediocrem personam gerit. Ipse nobili loco se natum esse gloriatur (pag. 360, 12 sq.) — Habrocomem latrocinii socium sibi adiungit (pag. 359, 6) — se Habrocomis amicissimum profitetur (pag. 392, 17) — Anthiam ad Habrocomem reducit (pag. 395. 3) — una cum eis reliquam vitam Ephesi degit (pag. 399, 21).

Idem latronem agit verissimum: Anthiam Marti deo sacrificare (pag. 358, 6) et iterum captam pro caede socii cuiusdam eam violare conati crudelissime ulcisci parat (pag. 378, 22). In Syria et in Aegypto cum suis vicos complures incendio delet multosque homines interficit (pag. 373, 16, 383, 4, 376, 23).

Quae quam obtusi ingenii sint quamque ipsa inter se repugnantia, Rohde l. l. pag. 400 et 401 dilucide exposuit.

Sed ubi comparatio facta est cum Heliodoro, nihil Xenophontis narratione sanius esse videtur. Namque apud hunc latrones excepto uno Hippothoo meritas poenas persolvunt (pag. 358, 11, 383, 20), ut scriptor recti et veri sensum non penitus deposuisse videatur.

Quid contra ille? Thyamim, pontificis filium ipsumque pontificem ab eo latronum manui praefici et omnia pro duce latronum agentem induci, nil moror.[1]) Sed quod idem latronum opera in antiquum dignitatis gradum restuitur (lib. VI pag. 174, 22), quod illi latrones cum Persarum copiis congressi superiores discedunt et parva manu Memphim, sedem satrapis Persarum, oppugnare contendunt (pag. 174, 14 sq.), quod Thyamis recuperata dignitate latrones cum amplis praemiis nullo prohibente domum remittit (pag. 188, 16), quod Theageni proponit, ut sibi in imperio latrocinii succedat (pag. 184, 12 sq.), ea omnia tam absurda et perversa sunt, ut nihil accedere possit.

Thyamim vero cum Theagene non minus arta familiaritate iunctum esse, quam Hippothoum cum Habrocome hic unus locus satis docebit: pag. 184, 16 *ἠσπάζοντο ἀλλήλους σὺν δάκρυσιν ἅμα καὶ φιλήμασιν.*

[1]) Hoc conferendum est cum Dionis Cassii de seditione bucolorum narratione, Dio Cass. 71, 4.

Quid pluribus opus est? Nonne apparet, Heliodorum Xenophontis exemplo inductum eandem, quam illum viam institisse, sed tam longe progressum esse, ut posteriores erotici, quamvis proni essent ad omne genus ineptiarum, in ea re saltem meliore iudicio usi eum sequi non curarent. Neque enim Achilles Tatius aut Chariton aut Longus, cum eorum narrationes nequaquam sine latronibus agantur, tam impudenter patientia lectorum abusus est.

Altera res a Xenophonte perverse instituta ab Heliodoro non minus ridicule augetur et exaggeratur. Ille enim non primus quidem fabulatorum eroticorum narrationem oraculo tamquam machinatione quadam sustineri et moveri facit, sed primus, opinor, in eo peccat, quod personis fabulae inde ab initio narrationis oraculum datum esse narrat, eas multis laboribus perfunctas tandem aliquando meliore fortuna usuras esse (pag. 335, 24 *ἀλλ' ἔτι που μετὰ πήματ' ἀρείονα πότμον ἔχουσι*). Et parentes Anthiae hoc oraculo se consolantur (pag. 339, 18 *εὐθυμότεροι δὲ ἦσαν, τὰ τέλη σκοποῦντες τῶν μεμαντευμένων*) et ipse Habrocomes fessus aerumnis a deo exitum et eventum oraculi postulat (pag. 381, 31 *ὦ μαντεύματα δυστυχῆ, ὦ τὰ πάντων ἡμῖν Ἄπολλον χρήσας χαλεπώτατα, οἴκτειρον ἤδη, καὶ τὰ τέλη τῶν μεμαντευμένων ἀποδίδου*).

Neque intellegi posset id, quod narrat de voluntaria morte parentium desperata filiorum salute, (pag. 387, 11 *ὑπὸ ἀθυμίας δὲ καὶ γήρως οὐ δυνηθέντες ἀντισχεῖν οἱ γονεῖς ἑκατέρων ἑαυτοὺς ἐξήγαγον τοῦ βίου·* nisi videremus eum interdum oblivione labi, qui in extrema narratione non iam dicat parentes ipsos sibi mortem conscivisse, sed aetate et calamitate fractos decessisse (pag. 399, 17 *ἔτυχον γὰρ ὑπὸ γήρως καὶ ἀθυμίας προτεθνηκότες*).

Accedit oraculum Apis sub finem narrationis Anthiae datum (pag. 385, 16 *Ἀνθία Ἁβροκόμην ταχὺ λήψεται ἄνδρα τὸν αὐτῆς*).

Quod, quam sit ineptum, neminem fugit. Lector enim sanus sibi persuadere non poterit illas captivitates et damnationes quin etiam mortes magni faciendas esse, cum ab initio exploratum habeat deum omnia ad optimum eventum perducturum esse. Quo fit, ut tota narratio tamquam elisis ab ipso scriptore nervis langueat atque torpeat (cf. Rohdium pag. 396 et 397).

Neque vero hoc posteriores fabularum Romanensium scriptores fugisse potest, certe quidem Achilles Tatius, Chariton, Longus in eum errorem non inciderunt, nisi forte somnium apud Achillem Tatium (pag. 111, 10) relatum huc referre volumus.

Unus Heliodorus rem adeo cumulavit, ut prae eius stupore levis et venia dignus error Xenophontis nobis videatur. Nam cum in Ephesiacis eius oraculi, initio dati, raro et strictim mentio fiat, in Aethiopicis de promisso Apollinis sexcenties monemur et in legendo ne uno quidem puncto temporis amantium periculis ut veris et seriis commoveri sinimur. Iam videamus, quomodo ille eam rem tractet. Initio narrationis amantibus faustus fortunae eventus Apollinis oraculo ita praedicitur, ut ipsi non nominentur, sed puerili quodam lusu nominum significentur (pag. 77, 7 *τὴν χάριν ἐν πρώτοις αὐτὰρ κλέος ὕστατ' ἔχουσαν — φράζεσθ' ὦ Δελφοί, τόν τε θεᾶς γενέτην*).

Praeterea his locis dei responsum commemorando et interpretando lectoris animo tamquam inculcatur: pag. 61, 18 *ἔσεσθαι δέ μοι τοῦτο οὐκ εἰς μακρὰν οἱ θεοὶ προσημαίνουσιν* (cf. etiam pag. 64, 19. 65, 4. 66, 15. 68, 29) pag. 89, 23 *τοῦ χρησμοῦ τὰ τελευταῖα τί ἄρα βούλοιτο ἀνιχνεύων.* — pag. 100, 7 *πρὸς τίνα χώραν ἄρα πέμποι τοὺς νέους ὁ θεὸς ἐννοῶν. τὸν μὲν δὴ δρασμὸν ἔγνων κατὰ θάλατταν εἶναι ποιητέον, ἀπὸ τοῦ χρησμοῦ τὸ συνοῖσον λαβών.* — pag. 111, 22 *εἴ τι δεῖ θεοῖς τε τοῖς ἄλλοις καὶ τῷ χρησμῷ τοῦ Πυθίου καταπιστεύειν, καὶ ἅμα ὑπεμίμνησκον τὸν χρησμόν, καὶ ὅτι βούλοιτο ἔφραζον.*

Pag. 144, 23 *τέλος αὐτῇ δεξιὸν εὐαγγελίζεται.* — pag. 169, 24 *ἀλλὰ τούτου γε ἕνεκα θάρσει, ὡς ὄντος ἐκείνου καὶ σοὶ συνεσομένου, θεῶν νευόντων, εἴπερ τι χρὴ τοῖς προθεσπισθεῖσι περὶ ὑμῶν (χρὴ δὲ) πιστεύειν.* — pag. 178, 3 *ᾧ μετὰ μυρίους μὲν μόχθους μυρίους δὲ κινδύνους, γῆς ἐπ' ἐσχάτοις ὅροις, τύχῃ σὺν λαμπρᾷ καὶ βασιλικῇ συμβιώσεται* — pag. 178, 21 *τῶν μαντευθέντων ἕνεκεν ἐπισπεύδοντες* pag. 235, 1 *Αἰθιόπων εἰς γαῖαν ἀφίξεαι ἄμμιγα κούρῃ, — δεσμῶν Ἀρσακέων αὔριον ἐκ προφυγών.* — pag. 236, 22 *θάρσει, παντάρβην ἑτέραν ἔχομεν τὰ μεμαντευμένα.* (cf. pag. 243, 7, pag. 245, 1) pag. 245, 26 *ἐμειδία δὲ καὶ ἡ Χαρίκλεια, καὶ τὸν Θεαγένην μεταβάλλειν ἐπειρᾶτο, καὶ τοῖς ἐκ θεῶν προῤῥηθεῖσιν ἐπανέχουσα, καὶ χρηστοτέραις ἐλπίσι κατεπᾴδουσα.* — pag. 275, 31 *τοῦ πεπρωμένου δὲ εἰς τότε τὸ ζητούμενον ἀναφαίνοντος* (cf. pag. 282, 19 et 20).

Atque ne lector obliviscatur omnia bene versura esse, ipse scriptor interdum eventus felicis nos admonet, velut pag. 244, 13 *οὐκ ἤγοντο πλέον ἢ προεπέμποντο ἐν αἰχμαλώτῳ τύχῃ πρὸς τῶν ὀλίγον ὕστερον ὑπηκόων δορυφορούμενοι.* —

Quodsi considerabimus, quam modice Xenophon rem agat, quam mediocriter a recto aberret, contra quam importune Heliodorus lectori obtrudat, quae tacere oportebat, nobis persuadebitur eum insano quodam cumulandi studio adductum narrationem ita instituisse.

Praesto autem est certissimum indicium eum non casu ita scripsisse, sed consilio et ratione Ephesii exemplum secutum esse. Etenim ipsum oraculum utrobique plane eodem modo accipitur.

Xen. pag. 335, 26 *ταῦτα ὡς ἐκομίσθη τὰ μαντεύματα εἰς Ἔφεσον . . . οἱ πατέρες αὐτῶν ἦσαν ἐν ἀμηχανίᾳ καὶ τὸ δεινὸν ὅτι ἦν πάνυ ἠπόρουν· συμβάλλειν δὲ τὰ θεοῦ λόγια οὐκ ἐδύναντο.*

Heliod. pag. 77, 13 *ταῦτα μὲν ὡς ἀνεῖπεν ὁ θεὸς ἀμηχανία πλείστη τοὺς παρεστῶτας εἰσεδύετο, τὸν χρησμὸν ὅτι βούλοιτο φράζειν ἀποροῦντας· ἄλλος γὰρ πρὸς ἄλλο τι τὸ λόγιον ἔσπα.* —

Quis tam difficilis est, qui sibi persuadere nequeat hanc manifestam imitationem esse?

Hoc loco quaedam tractanda esse puto, quae a scriptoribus eroticis ex poëtis Alexandrinis sumpta esse constat. Quam multa autem fabularum Romanensium scriptores illis poëtis debeant, cum Car. Dilthey in eo libro, qui inscribitur „De Callimachi Cydippa" et E. Rohde pag. 145—166 praeclare exposuerint, opus non est pluribus verbis disserere.

Solent igitur illi poëtae, cum intolerabilem amoris ardorem et furorem paene exitiosum quocunque modo auctum et cumulatum depingunt, inde illum repetere, quod ipse adulescens virgove amore incensa fastidiosius ante spreverit amantes atque Cupidinis Venerisque potestatem eluserit. (Dilthey l. l. pag. 43, ubi nonnulli poëtarum loci annotati sunt.) Deus autem sese sperni non patitur, sed eos, qui repugnare et resistere audent, eo vehementius insequitur et numen suum agnoscere cogit. Eiusmodi fabulae exitiosum plerumque habebant exitum, cum poëtae deum in contemptores sui gravius consulentem facerent (cf. Rohdium, l. l. pag. 147 adnot. 4).

Videamus nunc, quomodo Habrocomes Xenophonteus initio fabulae se gerat: Xen. pag. 329, 23 sq. *Ἐρωτά γε μὴν οὐδὲ ἐνόμιζεν εἶναι θεὸν ἀλλὰ πάντη ἐξέβαλεν οὐδὲν ἡγούμενος, λέγων ὡς οὐκ ἄν ποτέ τις ἐρασθείη οὐδὲ ὑποταγείη τῷ θεῷ μὴ*

θέλων· εἰ δέ που ἱερὸν ἢ ἄγαλμα Ἔρωτος εἶδε κατεγέλα e. q. s. Propter tantam sui contemptionem deus ei vehementer irascitur (pag. 330, 7 *μηνίει πρὸς ταῦτα ὁ Ἔρως· φιλόνεικος γὰρ ὁ θεὸς καὶ ὑπερηφάνοις ἀπαραίτητος*) neque satis habet eum sub imperium suum subiungere, sed gravi poena eum afficere parat (pag. 333, 18 *ὁ δὲ Ἔρως ἔτι ὠργίζετο καὶ μεγάλην τῆς ὑπεροψίας ἐνενόει τιμωρίαν εἰςπράξασθαι τὸν Ἀβροκόμην*). Ipse Habrocomes culpae admissae sibi conscius, postquam adversa fortuna in eum saevire coepit, agnoscit Cupidinem numen laesum exsequentem (pag. 346, 23 *ἄρχεται τὰ μεμαντευμένα· τιμωρίαν ἤδη με ὁ θεὸς τῆς ὑπερηφανίας εἰσπράττει*). Omnes igitur labores ab Habrocome exanclatos scriptor nihil aliud esse vult nisi poenas Cupidini irato datas.

Hoc totum ex poëtis eroticis translatum neque quidquam novi ab Nostro adiunctum esse perspicuum est. Non solum utitur invento poëtarum, sed etiam plane eodem utitur modo, etsi in ea re cum reliqua narratione apte coniungenda frustra elaborat.[1])

Quod igitur Dilthey l. l. pag. 43 negat habere se, qui plus valeat ad eam, de qua modo dictum est, poëtarum eroticorum consuetudinem exemplo suo comprobandam, quam Xenophon Ephesius, eodem pertinet, ut is ex ipsis poëtis eam rem petierit neque quemquam solutae orationis fabulatorem ducem habuerit.

At Heliodorus eadem longe aliter tractat. Nam Theagenes et Chariclea simile quidem prae se ferunt fastidium amoris, et scriptor multus est in ea repugnantia depingenda, quo clarius virginalis quaedam dignitas et austeritas amantium eluceat.

Heliod. pag. 94, 25 *ἔστι μὲν αὐστηροτέρα* (sc. Chariclea) *καὶ κατενεχθῆναι πρὸς ἔρωτα δύσμαχος, Ἀφροδίτην καὶ γάμον ἀτιμάζουσα καὶ μέχρις ὀνόματος.* — pag. 94, 17 *ἀεὶ γὰρ διαπτύσαι πάσας (γυναῖκας) καὶ γάμον αὐτὸν καὶ ἔρωτας εἴ τινος ἀκούσειεν . . . . καὶ ταῦτα λέγων* (sc. Theagenes) *ἐπεδάκρυεν, ὥσπερ ὅτι πρὸς βίαν ἥττηται κόρης ἐνδεικνύμενος.*

---

[1]) Rohde l. l. pag. 398 eine weitere Strafe des Gottes sind alle Irrfahrten, Leiden und Versuchungen des ganzen Romans; das wird auch pag. 346, 24 gesagt, aber im weitern Verlauf der Erzählung lässt, zu Gunsten des Orakelmotivs, der Dichter diese Leitung der Dinge durch Eros einfach fallen.

Sed hoc taedium amoris propere deponitur, neque ira aut poena Veneris vel Cupidinis consequitur. Et cum Habrocomes a Cupidine victus eius fidem imploret in eoque spem salutis ponat, (Xen. pag. 333, 15 *Ἄπειρος ὤν, Ἔρως, ἔτι τῶν σῶν ὑπερηφάνουν· ἀλλὰ νῦν Ἄνθειαν ἡμῖν ἀπόδος· γενοῦ μὴ πικρὸς μόνον ἀντιλέγοντι, ἀλλ' εὐεργέτης ἡττωμένῳ θεός*) amantes Heliodorei neque Veneris neque Cupidinis mentionem faciunt, nedum auxilium ab eis exspectent.

Quid plura? Cum Xenophon in ordienda fabula totus ex poëtis pendeat et ab eis ne digitum quidem discedere audeat, Heliodorus autem opibus poëtarum ad libidinem utatur, qui credi potest Aethiopica ante Ephesiaca scripta esse? Ut hoc a verisimilitudine quam maxime abhorret, ita plus quam probabile fit Heliodorum etiam de hac narrationis parte Ephesiaca consuluisse his locis inter se comparatis:

Xen. pag. 332, 31 *ἑάλωκα καὶ νενίκημαι καὶ παρθένῳ δουλεύειν ἀναγκάζομαι.*

Hel. pag. 103, 19 *ἑάλωκεν ἡ δυσάλωτος καὶ νενίκηται ἡ δυσκαταμάχητος.*

Est ea profecto Heliodori imitationis ratio, ut variando et amplificando imitari consueverit.

Non alienum a proposito esse puto hoc loco alterum exemplum proferre, quo ostendatur, quantam diligentiam Xenophon in utendis poëtarum inventis adhibuerit, quanta vero incuria Heliodorus rem egerit. Namque apud Xenophontem Anthia, ne Habrocomi fidem violare cogatur, in Perilai thalamum introducta medicamentum somniferum pro veneno sibi datum haurit et pro mortua cadit. Domus Perilai ex eo facto lamentis et terrore impletur, ipse Perilaus suam et Anthiae sortem miseratur, ut quae sit ex thalamo in sepulcrum transferenda (Xen. pag. 367, 27 *εἰς οἷόν σε θάλαμον τὸν τάφον ἄξομεν*). Huius acuminis poëtarum usu admodum frequentati Dilthey l. l. pag. 91 complura exempla profert, quibus addendum est: Soph. Ant. 891 *ὦ τύμβος, ὦ νυμφεῖον.*

Perlecto autem eo Xenophontis loco nemo negabit eam rem narrationi apte insertam esse neque illud contrapositum „*θάλαμον — τάφον*" longius repetitum videri.

Quid contra Heliodorus? Is cum aptiorem fabulae locum videat nullum, Chariclem facit narrantem unicam filiam

suam ipsa nuptiarum nocte, sive de coelo tacta domo sive igne combusta, decessisse.

Heliod. pag. 68, 32 *καὶ καθ' ἣν νύκτα συγκατεκλείσθη τῷ γήμαντι, κατ' αὐτὴν ἡ δυστυχὴς ἐτελεύτα, σκηπτοῦ τινος ἢ χειροποιήτου πυρὸς τοῖς θαλάμοις ἐμπεσόντος, καὶ τὸν ὑμέναιον ᾀδόμενον ἔτι διεδέχετο θρῆνος, καὶ ἀπὸ τῶν παστάδων ἐπὶ τὸ μνῆμα παρεπέμπετο, καὶ δᾷδες αἱ τὸ γαμήλιον ἐκλάμψασαι φῶς, αὗται καὶ τὴν ἐπικήδειον πυρκαϊὰν ἐξῆψαν.*

Quis non videt hoc totum nihil esse nisi pannum Heliodori narrationi assutum? Poterat misera illa Chariclis filia percommode sua morte defungi, sed necesse erat eam de coelo tangi, ne haec contraria scriptor amitteret: „*ὑμέναιον — θρῆνος, ἀπὸ τῶν παστάδων — ἐπὶ τὸ μνῆμα, τὸ γαμήλιον φῶς — τὴν ἐπικήδειον πυρκαϊάν*". (Eius figurae eum acerrimum venatorem esse cum permultis aliis locis tum eo, quod scribit pag. 310, 12 sq. facile apparet.) Quod vero ipse pater dubitat, utrum filiam de caelo tactam an igne absumptam esse credat, quod de filiae marito quid factum sit, sitne simul combustus necne, nihil sane comperimus, eiusdem temeritatis est, qua in imitanda Xenophontis de Aegialeo narratione Heliodorum usum supra vidimus. Quod suspicionem movet exemplum Ephesii etiam hoc loco valuisse.

Quam late autem ea imitatio pateat, multi alii Nostrorum consensus docent minus apti ad sententiam nostram comprobandam, ex quibus eos potissimum annotandos putavi, quibus inter se congruentes cum ceteris eroticis discrepant. Velut apud omnes fabulatores eroticos saepenumero alter amantium absentiam alterius et fortunae iniquitatem lamentatur. Sed eae lamentationes apud Nostros inter se admodum similes sunt, a ceteris multum differunt. Certe quidem gemitus et querelae Theagenis Heliod. pag. 42. Anthiae lamentationem Xen. pag. 365 redolere videntur:

Xen. pag. 365, 4 *ὦ φιλτάτη μοι πασῶν Ἁβροκόμου ψυχή.* pag. 367, 12 *ὦ φιλτάτου Ἁβροκόμου ψυχή.*

Heliod. pag. 42, 20 *ἥξω, φιλτάτη ψυχή.*

Xen. pag. 365, 6 *μηδέν τι ὑπὲρ ἐμοῦ λυπηθῇς, οὐ γὰρ ἄν ποτε ἑκοῦσα ἀδικήσαιμί σε· ἐλεύσομαι καὶ μέχρι θανάτου μείνασα νύμφη σή.*

Heliod. pag. 42, 7 sq. *θάρσει, πιστὸν ἔχεις τὸν ἐρώμενον· ἀπολήψῃ με μικρὸν ὕστερον.*

Idem eos dicere, etsi non eisdem verbis apparet.

Conferendum est praeterea:

Xen. pag. 347, 16 *ἕξομεν ἀλλήλους μετὰ θάνατον, ὑπ᾽ οὐδενὸς ἐνοχλούμενοι.*

Heliod. pag. 42, 11 *ἐξέσται πάντως ἀλλήλοις συνεῖναι μετὰ γοῦν θάνατον, εἰ καὶ ζῶσιν ὁ δαίμων οὐκ ἐπέτρεψεν.*

In altera porro Charicleae Heliodoreae lamentatione, quae cum reliqua narratione vix cohaeret, tam multa inveniuntur, quae e Xenophonte sumpta videntur, ut tantum non universa ex eis composita sit.

Xen. pag. 336, 10 *ἐφόβει δὲ αὐτὸν οὐδὲν τὰ μεμαντευμένα, ἀλλ᾽ ἐδόκει παντὸς εἶναι δεινοῦ τὰ παρόντα ἡδίονα. Κατὰ ταὐτὰ δὲ καὶ ἡ Ἄνθεια ἥδετο μὲν ὅτι Ἁβροκόμην ἕξει· τίς δὲ ἡ φυγὴ καὶ τίνες αἱ συμφοραὶ κατεφρόνει, πάντων τῶν ἐσομένων Ἁβροκόμην ἔχουσα παραμυθίαν.*

Heliod. pag. 124, 22 *ᾠόμην βιώσεσθαι . . . . ἅμα τῷ φιλτάτῳ ξένον μὲν καὶ ἀλήτην βίον, ἀλλὰ μετ᾽ ἐκείνου γινόμενον ἥδιστον· οὐδὲν γὰρ οὕτως ἐμοὶ χαλεπόν, ὃ μὴ μετ᾽ ἐκείνου φορητόν.*

Xen. pag. 369, 11 *πάλιν . . . λῃσταὶ καὶ θάλαττα, πάλιν αἰχμάλωτος ἐγώ· ἀλλὰ νῦν δυστυχέστερον ὅτι μὴ μετὰ Ἁβροκόμου.*

Heliod. pag. 124, 28 *δουλεύειν ᾤμην ἐκπεφευγέναι καὶ δουλεύω πάλιν . . . . ὅμοια τὰ νῦν ἐκείνοις, ἀληθέστερον δὲ εἰπεῖν καὶ πικρότερα, τοῦ καὶ βουλομένου καὶ δυναμένου ταῦτα παραμυθεῖσθαι κεχωρισμένου . . . ἐπεκούφιζε καὶ ταῦτα παρὼν ὁ πάντων ἐμοὶ φίλτατος . . . οἴχεται ὁ κοινωνὸς τῶν δυστυχημάτων.*

Xen. pag. 355, 1 *ἐκείνην ἢ ζῶσαν ἢ τεθνεῶσαν εὕροιμι.*

Heliod. pag. 125, 4 *ἐκεῖ με καὶ ζῶσαν ἐθρήνησε καὶ τεθνεῶσαν, ὡς ᾤετο, ἐδάκρυσεν.*

Cum tota sententia inepta, tum „*τεθνεῶσαν ὡς ᾤετο*" ridicule dictum est. Unum, opinor, homoeoteleuton scriptorem induxit, ut tam inania verba scriberet.

Xen. pag. 378, 6 *ἡ Ἄνθεια πολλὰ ἐβουλεύετο ἑαυτὴν ἀποκτεῖναι ἀλλ᾽ ἔτι ὑπὲρ Ἁβροκόμου τι ἤλπιζε. . . .*

Heliod. pag. 125, 9 *καὶ τέως ζῆν ἀνεχομένη, διότι μοι περιεῖναι τὸν γλυκύτατον ἐλπίζω.*

Excerpta haec ex Ephesiacis et in eam Charicleae orationem consilio congesta videntur. — Ad idem lamentationum caput pertinet: Xen. pag. 386, 11 *οὐκ ἤρκουν οἱ τάφοι, οἱ φόνοι, τὰ δεσμά, τὰ λῃστήρια, ἀλλ᾽ ἤδη καὶ* ... et pag. 387, 31

οὐχ ἱκαναὶ αἱ πρότερον συμφοραί, τὰ δεσμὰ τὰ λῃστήρια, ἀλλ᾽ ἔτι καὶ . . . quae Heliodorus altero membro mutato imitatur: pag. 10, 23 sqq. *οὐδὲ ἱκανά σοι πρὸς τιμωρίαν τὰ παρελθόντα, στέρησις τῶν οἰκείων, καταποντιστῶν ἅλωσις, θαλασσῶν μυρίος κίνδυνος, λῃστῶν ἐπὶ γῆς ἤδη δευτέρα σύλληψις, καὶ πικρότερα τῶν ἐν πείρᾳ τὰ προσδοκώμενα.* — cf. Charit. pag. 76, 13.

Omnino autem eis locis, ubi teneriores quosdam animi commotiones depingere vult, minime sibi confidere et alienas opes circumspicere eum apparet, velut in prima amoris origine describenda, in Tyrrheni piscatoris hospitio enarrando, in his, de quibus modo dictum est amantium lamentationibus exponendis, alias. Neque vero admodum felix est in eis rebus imitandis. Quod haud scio an nascatur ex vitio quodam eius ingenii, de quo disputat Rohde l. l. pag. 449 his verbis: Das Gefühlvolle, lyrisch Epmfindungsreiche will dem Dichter nicht gelingen; er findet sich daher bei Gelegenheit der ersten Liebesnoth seines Paares mit den durch hellenische Erotiker hinreichend zubereiteten herkömmlichen Mitteln ab. Eher vermag er einmal eine wild tobende Flamme unreiner Leidenschaft darzustellen, wie diejenige der Demänete zum Knemon, der Arsace zum Theagenes. Sein Talent, sehr merklich von dem des Xenophon verschieden, weist ihn überhaupt, statt zum lyrisch Schmelzenden, eher (wenn man so hohe Worte hier brauchen darf) zu dem feierlich Pompösen der tragischen Kunst hin e. q. s.

Alia quaedam apud Heliodorum ita exornata sunt, ut Xenophontis orationis colorem vix agnoscere possimus et incertius sit de imitatione iudicium. Velut Anthia absentem Habrocomen magna voce invocat:

Xen. pag. 366, 10 *πολλὰ τὸν Ἁβροκόμην ὡς παρόντα ἀνεκάλει.* — Similiter Theagenes apud Hel. pag. 226, 9 *Χαρίκλειαν διὰ στόματος ἔχων καὶ ταῖς ἐκείνης ἀνακλήσεσιν ὥσπερ θεραπείας παρηγορούμενος.*

Apud Xenophontem amantes piratarum sollicitationes veriti, „nil sani suspicantur" (pag. 345, 15 *τοῖς δὲ αἵ τε ψυχαὶ ἐκραδαίνοντο καὶ οὐδὲν ὑγιὲς ὑπενόουν*). Apud Heliodorum Theagenes persimili condicione sibi oblata „nil boni vaticinatur de rebus futuris" (pag. 196, 5 *ἀγαθὸν οὐδὲν ἐπὶ τοῖς μέλλουσι καταμαντευομένου*).

Oculi Anthiae apud Xenophontem his verbis laudantur pag. 331, 4 *ὀφθαλμοὶ γοργοί, φαιδροὶ μὲν ὡς κόρης, φοβεροὶ*

δὲ ὡς σώφρονος. — Quae Heliodorus reminisci videtur, ubi scribit pag. 26, 21 *αἰδοῖ τοῦ βλέμματος καὶ τοὺς ὁρῶντας καταστέλλει πρὸς τὸ σεμνότερον.*

Sed longum est persequi omnes eas similitudines, quas cum aliqua probabilitate ad imitationem referre liceat. Nobis praecipue propositum est ea conquirere, quibus Heliodorus imitationis coarguatur. Eiusmodi autem pauca quidem sed non incerta invenisse mihi videor, accurata comparatione eorum vocabulorum et locutionum instituta, quibus scriptores erotici multum uti solent. Etsi in ea comparatione semper tenendum est scriptores eroticos ad unum omnes, quamvis inter se imitati sint, tamen non rudes fuisse poëtarum eroticorum, et recentiores quoque ex eis illos poëtas ipsos adhibuisse et inde nonnulla hausisse. Qua de re haec sunt verba Diltheyi, de Call. Cydippa pag. 47: „Ac si ipsa uteremur elegia superstite, summo opere miraremur fortasse, quot inde lumina amatorii potissimum sermonis, quot sententias elegantiores ac locos communes poëtae cum Graeci tum Latini scriptoresque Graecorum erotici petierint; quo de hodieque coniecturam facere licet e vestigiis perquam exilibus.“

Quae cum ita sint summa cautione in ea comparatione adhibita ea, quae omnium eroticorum communia sunt, ab eis, quae uniuscuiusque propria esse apparet, secerni debent. Id quod non semper fecerunt veteres scriptorum eroticorum editores, Dorvillium dico, Locellam, Peerlcampium, Corayum eorumque praecursores, quorum commentarios, quamvis magni ceteroquin aestimandi sint, in hac quaestione tractanda minore fructu quam labore consuluisse mihi videor. Cum vero eas locutiones, de quibus dicturus sum, ipse conferendo invenerim et disposuerim, faciendum non putavi, ut, si quis forte veterum editorum ex eis locutionibus quasdam contulit, nomen eius ascriberem.

Omittenda igitur puto omnia ea vocabula, quibus amor et impatientia amoris et desperatio cum summa animi perturbatione significatur, quae cum apud omnes eadem fere sint, (*ἁλίσκεσθαι, ἐκκαίειν, ἐκκάεσθαι. ἀνακάεσθαι, πάσχειν* vel *πεπονθέναι τι πρός τινα οὐκέτι φέρειν* vel *καρτερεῖν, μαίνεσθαι, περιῤῥήγνυσθαι τὴν ἐσθῆτα, σπαράττειν* vel *τίλλειν τὴν κόμην, ῥίπτειν* vel *καταβάλλειν ἑαυτὸν ἐπὶ γῆν*, alia) et omnibus eroticis usu frequentata, ad imitationem demonstrandam idonea non sunt. Eodem pertinent ea vocabula, quae significant aliquem osculari, deosculari, amplecti, se ad pedes alicuius proicere, quaedam alia, quae eiusmodi esse puto, ut de

imitatione nihil ex eis iudicari possit. Usitatissima autem eroticis sunt: *φιλεῖν, καταφιλεῖν, περιλαμβάνειν, περιφύεσθαι, συμφύεσθαι, περιπλέκεσθαι, περιπτύσσεσθαι, γόνασι προσπίπτειν.*

Etsi non plane inter se congruunt, velut Xenophon unus scribit: „*προκυλίεσθαι τῶν ποδῶν*“ (pag. 368, 29; 366, 3; 353, 4; cf. pag. 397, 28) unus Heliodorus „*περιχυθῆναι*“ et „*ἐναγκαλίζεσθαι*“ verbis utitur.

At non desunt certa imitationis indicia. Quorum primum in pravo quodam enumerationum usu positum esse videtur, qui reprehenditur a Rohdio pag. 407 adnot. 2. Xenophon enim adeo nihil potest in affectibus vehementioribus describendis, ut varias et fluctuantes animi commotiones tantummodo enumeret, tamquam desperato scriptoris officio et munere. Hic autem usus cum propter frequentiam eorum locorum Xenophonti ut eius proprius tribuendus est, tum mirifice convenit eius ieiunitati et exilitati dicendi, de qua non semel dictum est. — Atque omnes eas enumerationes colligendas esse iudicavi, quo facilius comparatio institueretur:

Xen. pag. 339, 15 *πάντων ἅμα ἐν ὑπομνήσει γενόμενοι, τοῦ χρησμοῦ, τοῦ παιδὸς, τῆς ἀποδημίας.* — pag. 340, 9 *πολλὰ ἅμα ἐννοοῦντες, τοὺς πατέρας οἰκτείραντες, τῆς πατρίδος ἐπιθυμοῦντες, τὸν χρησμὸν δεδοικότες, τὴν ἀποδημίαν ὑποπτεύοντες.* — pag. 351, 8 *ἀναμίξασα πάντα, φθόνον, ζηλοτυπίαν, λύπην, φόβον.* — pag. 364, 26 *ἐνενόει δὲ ἅμα πολλά, τὸν ἔρωτα, τοὺς ὅρκους, τὴν πατρίδα, τοὺς πατέρας, τὴν ἀνάγκην, τὸν γάμον.* — pag. 371, 7 *ἔννοια πάντων Ἁβροκόμην εἰσήρχετο, Ἀνθείας, τοῦ θανάτου, τοῦ τάφου, τῆς ἀπωλείας.* — pag. 372, 30 *πολλὰ ἅμα ἐσκόπει, τὴν Ἄνθειαν, τοὺς ὅρκους, τὴν πολλάκις αὐτὸν σωφροσύνην ἀδικήσασαν.* — pag. 393, 8 *πάντων αὐτὸν ἔννοια τῶν δεινῶν εἰσήρχετο, τῆς πατρίδος, τῶν πατέρων, τῆς Ἀνθείας, τῶν οἰκετῶν.* — pag. 396, 24 *συμβάλλουσι δὲ πάντα ἅμα, τὰ δάκρυα, τὰ ἀναθήματα, τὰ ὀνόματα, τὸ εἶδος.* — pag. 397, 19 *κατεῖχε δὲ αὐτοὺς πολλὰ ἅμα πάθη, ἡδονή, λύπη, φόβος, ἡ τῶν προτέρων μνήμη, τὸ τῶν μελλόντων δέος.*

Satis frequentem hunc usum esse pro brevitate quidem narrationis Ephesii concedendum est. Atque adeo nusquam, quod quidem invenire potuerim, concursum illum animi perturbationum aliter depingit.

Heliodorum vero et artis rhetoricae scientia et facilitate quadam scribendi multo praestare Xenophonti inter omnes constat, qua re plerosque homines doctos inductos esse, ut eum aetate superiorem putarent, supra commemoratum est. Ob id ipsum credibile non est eum ad artificium sollerti rhetore tam indignum descendere consuevisse. Neque

vero hoc genere enumerationum frequenter eum usum videmus, sed tamen neque omnino desunt et eiusmodi sunt, ut notam originis Xenophonteae aperte prae se ferant:

Heliod. pag. 23, 11 *ἡ δὲ ἅμα πάντα τὰ περιεστῶτα, ὡς εἰκὸς ἐννοήσασα, τὴν ἀποτυχίαν τῶν προσδοκηθέντων, τὴν ἐπὶ τοῖς παροῦσιν ἀτιμίαν, τὴν ἐκ τῶν νόμων τιμωρίαν, ἀνιωμένη μὲν ἐφ' οἷς ἡλίσκετο, χαλεπαίνουσα δὲ ἐφ' οἷς ἠπάτητο* e. s. q. pag. 108, 3 *εἰςῄει γάρ με πολλῶν ἔννοια, τίνων μὲν γενομένη τίνων ἐνομίσθη, πόσῳ δὲ τῷ μεταξὺ τῆς ἐνεγκούσης ἀπήχθη.*

Huc etiam pertinent: pag. 126, 27 *πάντων ἅμα εἰς λήθην ἐμπεσόντες* — pag. 51, 23 *τῷ δὲ Θεαγένει καὶ τῇ Χαρικλείᾳ πάντων ἔννοια τῶν καθ' ἑαυτοὺς ἀθρόον ἐπεισῄει* quibus enumeratio adiuncta non est.

Nulla praeterea, nisi egregie fallor, apud Heliodorum eius usus exempla inveniuntur. Quodsi considerabimus, quanto Heliodori liber Xenophontis libellum amplitudine superet, et quam aperte ille operam dederit, ne nimis crebra eiusdem figurae repetitione peccaret, dubitare non poterimus, quin auctor Aethiopicorum haec ex Ephesiacis sumpserit.

Accedit, quod, cum ea enumerandi ratio non inusitata Charitoni et Achilli Tatio sit, „*ἐννοεῖν*“ et „*ἔννοια εἰσέρχεται*“ nusquam ab eis adhibetur. — Et Chariton quidem, quem multa Xenophonti debere constat, eadem enumerandi simplicitate et exilitate utitur:

Charit. pag. 16, 13 *τὴν Καλλιῤῥόην κατελάμβανεν ὁμοῦ πάντα φόβος, χαρά, λύπη, θαυμασμός, ἐλπίς, ἀπιστία.* — pag. 32, 19 *πάντων ἀνεμιμνήσκετο, τοῦ προσώπου, τῆς κόμης, πῶς ἐνέβλεψε, τῆς φωνῆς, τοῦ σχήματος, τῶν ῥημάτων.* — pag. 54, 16 *ἦν ὁμοῦ πάθη ποικίλα κλαόντων, θαυμαζόντων, πυνθανομένων, ἀπιστούντων.* — pag. 58, 8 *ἦσαν ὁμοῦ εὐχαί, δάκρυα, στεναγμοί, παραμυθία, φόβος, θάρσος, ἀπόγνωσις ἐλπίς.* — pag. 80, 23 *κατελάμβανε δὲ αὐτὸν πάθη ποικίλα, θυμός, ἀθυμία, φόβος, ἀπιστία.* — pag. 99, 14 *πάντα ἦν ὁμοῦ, δάκρυα, χαρά, θάμβος, ἔλεος, ἀπιστία, εὐχαί.* — pag. 115, 11 *ἀπηλλάττετο μυρίων παθῶν μεστός, ὀργιζόμενος μὲν Καλλιῤῥόῃ, λυπούμενος δὲ ἐφ' ἑαυτῷ, φοβούμενος δὲ βασιλέα.* — pag. 144, 27 *πόσα πάθη διάφορα, εὐχομένων, συντασσομένων, χαιρόντων, λυπουμένων ἀλλήλοις ἐντολὰς διδόντων, τοῖς οἴκοι γραφόντων.*

Contra Achilles Tatius eas enumerationes amplificando et quodammodo explicando variare studet: pag. 42, 15 *πάντα*

δέ με εἶχεν ὁμοῦ, ἔπαινος, ἔκπληξις, τρόμος, αἰδώς, ἀναίδεια· ἐπῄνουν τὸ μέγεθος, ἐκπεπλήγμην τὸ κάλλος, ἔτρεμον τὴν καρδίαν, ἔβλεπον ἀναιδῶς, ᾐδούμην ἁλῶναι.

Pag. 65, 5 *πολλὰ ἦν τὰ τότε ὁπλίζοντά με θαῤῥεῖν, οἶνος, ἔρως, ἐλπίς, ἐρημία.* — pag. 79, 32 *παντοδαπή τις ἦν· ἤχθετο, ᾐσχύνετο, ὠργίζετο· ἤχθετο μὲν πεφωραμένη, ᾐσχύνετο δὲ ὀνειδιζομένη, ὠργίζετο δὲ ἀπιστουμένη* — pag. 145, 33 *πάντα ἐγινόμην ὁμοῦ· ἀνεφλεγόμην, ὠχρίων, ἐθαύμαζον, ἠπίστουν, ἔχαιρον, ἠχθόμην* — pag. 151, 17 *ἐμεμέριστο πολλοῖς ἅμα τὴν ψυχήν, αἰδοῖ καὶ ὀργῇ καὶ ἔρωτι καὶ ζηλοτυπίᾳ· ᾐσχύνετο τὸν ἄνδρα, ὠργίζετο τοῖς γράμμασιν, ὁ Ἔρως ἐμάραινε τὴν ὀργήν, ἐξῆπτε τὸν ἔρωτα ἡ ζηλοτυπία, καὶ τέλος ἐκράτησεν ὁ ἔρως.* — pag. 173, 1 *ταῦτ' ἀκούσας ὁ Θέρσανδρος παντοδαπὸς ἦν· ἤχθετο, ὠργίζετο, ἐβουλεύετο· ὠργίζετο μὲν ὡς ὑβρισμένος, ἤχθετο δὲ ὡς ἀποτυχών, ἐβουλεύετο δὲ ὡς ἐρῶν.*

Et suum cuique in summa similitudine proprium colorem esse et omnium proxime Heliodorum ad Xenophontem accedere videmus.

Xenophontis porro propriae sunt amantium frequentes pulchritudinis exsecrationes, ut quae nihil nisi insidias habeat et plurima negotia sibi facessat: Xen. pag. 346, 26 *ὢ τῆς ἀκαίρου πρὸς ἑκατέρους εὐμορφίας.* — pag. 355, 12 *φεῦ τοῦτο τὸ κάλλος ἐπίβουλον ἀμφοτέροις πανταχοῦ· διὰ τὴν ἄκαιρον εὐμορφίαν* . . e. q. s. pag. 386, 8 *ὢ κάλλος ἐπίβουλον, ὢ δυστυχὴς εὐμορφία, τί μοι παραμένετε ἐνοχλοῦντα;* pag. 338, 1 *ὢ κάλλος δικαίως ὑβρισμένον, τί γάρ ἡμῖν ἀκαίρως παραμένεις;*

Has querelas quin Chariton imitatus sit, prorsus nemini dubium erit, cum ille eadem fere scripserit: pag. 93, 32 *κάλλος ἐπίβουλον, εἰς τοῦτο μόνον* . . *δοθέν, ἵνα* . . . pag. 115, 28 *ὢ κάλλος ἐπίβουλον σύ μοι πάντων κακῶν αἴτιον.* — pag. 131, 3 *τὸ δυστυχὲς κάλλος ὀλέθρου μοι γέγονεν αἴτιον.*

Sed ne Heliodori quidem eius rei imitatio dubia nobis videbitur, si considerabimus, ut ille plerumque variando imitari consueverit.

Hel. pag. 170. 8 *ἐκεῖ τοίνυν καὶ τὸν Θύαμιν ὑπηγάγετο πρὸς τὸν κατ' ἐμοῦ πόθον ἡ δυστυχῶς μοι προςεῖναι δοκοῦσα τῶν ὄψεων ὥρα.* (cf. etiam pag. 107, 28 et 290, 23 *ὦ μάτην ὡραία.*)

Multo etiam certius imitationis indicium in eo video, quod usus quidam peculiaris participii „*δυνηθείς*“ Xenophontis proprius ne Heliodoro quidem ignotus est. Ille enim, cum dicere vult aliquem non sine magno labore effecisse aliquid,

„δυνηθείς" cum subsequenti infinitivo ponere solet (cf. Rohdium, l. l. pag. 407 adnot. 3) pag. 352, 26 *δυνηθεῖσα εἰσελθεῖν εἰς τὸ δεσμωτήριον.* — pag. 362, 6 *δυνηθεὶς εὐπορῆσαι ἑνὸς ἐπιτηδείου λίθου.* — pag. 380, 29 *δυνηθεῖσα ἐν ταὐτῷ μοι γενέσθαι* — pag. 383, 24 *δυνηθεὶς λαθεῖν.* — pag. 384, 19 *ἐκφυγεῖν δυνηθεῖσα.* (cf. pag. 360, 24 *ἠδυνήθημεν μόνοι γενέσθαι.*) — Eius usus vestigia duobus locis Heliodori invenisse videor, pag. 217, 13 *(ἵππον) ὑφελέσθαι δυνηθείς.* — pag. 200, 12 *μόνος ἐκ τῶν ἀγόντων διαδρᾶναι δυνηθείς.*

Ut earum locutionum frequens repetitio Xenophontem inopiae cuiusdam sermonis coarguit (cf. Rohdium l. l. pag. 407 adnot. 3), ita eiusmodi rerum haudquaquam usu tritarum imitatio demonstrat, quam penitus Heliodorus illius libellum cognitum habuerit.

Idem eo intellegitur, quod uterque scriptor locutiones et vocabula quaedam minus usitata et reconditiora ursurpat, quae apud ceteros eroticos aut omnino non inveniuntur aut certe usu multum a Nostris differunt. Quin etiam soloecismos quosdam eis communes esse video. Ex quibus ea persequar, quae mihi ad imitationis rationem illustrandam aptissima esse videntur.

Xenophon beatam amantium vitam depingens nihil maius habet, quod proferat, quam vitam eorum festo diei similem fuisse, pag. 338, 22 *ἑορτὴ ἦν ἅπας ὁ βίος αὐτοῖς.* — pag. 399, 18 *διῆγον ἑορτὴν ἄγοντες τὸν μετ' ἀλλήλων βίον.* — (cf. pag. 341, 21, ubi narratur amantes a Rhodiis summa cum laetitia et admiratione multitudinis urbe exceptos esse: *ἑορτὴν ἄγουσι τὴν ἐπιδημίαν αὐτῶν.*) Haec reminiscens, opinor, Heliodorus scripsit: pag. 106, 23 *ὁ μὲν δὴ μέχρι τοῦ τόκου χρόνος ἑορτὴ πάνδημος ἦν.* — Insulse Achilles Tatius imitatur pag. 127, 26 *ἦν ἅπας ὁ ποταμὸς ἑορτή· ἐῴκει δὲ ὁ πλοῦς κωμάζοντι ποταμῷ.*

Optime vero et aptissime hoc a Xenophonte mihi dictum esse videtur: pag. 389, 10 *„αὕτη γὰρ ἦν αὐτῷ τοῦ βίου παντὸς καὶ τῆς πλάνης ἡ ὑπόθεσις"*, quippe cum Habrocomes profiteatur se in unam spem Anthiae inveniendae et vivere et remotas terras perlustrare. Haud scio, an nemo haec Heliodori verba praeferat pag. 219, 9 *τὴν ὅλην τοῦ ἔρωτος ὑπόθεσιν τῆς Ἀρσάκης ὑποτεμνόμενος,* ubi id agitur, ut Theagenes ex eius conspectu removeatur. (Achill. Tat. pag. 54, 24 *συνεὶς τοῦ λόγου μου τὴν ὑπόθεσιν* minus apte forsitan comparetur.)

Quod autem apud Xenophontem in colloquio amantium, quod non mediocri suavitate et dulcedine lectorem

permulcet, (cf. Rohdium l. l. pag. 402) Anthia Habrocomis oculos dulcissime alloquitur: pag. 338, 6 *ὦ πολλάκις με λυπήσαντες ὑμεῖς, ὦ τὸ πρῶτον ἐνθέντες τῇ ἐμῇ κέντρον ψυχῇ, οἱ τότε μὲν σοβαροί, νῦν δὲ ἐρωτικοί, καλῶς μοι διηκονήσατε, καὶ τὸν ἔρωτα τὸν ἐμὸν καλῶς εἰς τὴν Ἁβροκόμου ψυχὴν ὡδηγήσατε,* nescio an Rohde recte sentiat, cui Ephesius has sermonis delicias ex poëta erotico hausisse videtur. Etenim ea narrationis pars poëtico quodam nitet colore, ut non facile tibi persuadeas, Xenophontem propriis viribus tam alte evectum esse. Neque *„κέντρα ἔρωτος"* poëtis inde ab Euripidis aetate ignota fuerunt. (Eur. Hipp. v. 39 *ἐκπεπληγμένη κέντροις ἔρωτος,* v. 1303 *τῆς ἐχθίστης θεῶν δηχθεῖσα κέντροις.*) Sed tamen Ephesius, si non primus hoc dicit, optime et aptissime in eo contextu posuit. Quanto autem minus concinne ne dicam poëtice Heliodorus pag. 19, 10 *ἡ δὲ ἀπαραμυθητέον εἶναι τὸ κακὸν καὶ οἷον ἐγκεῖσθαι τῇ καρδίᾳ κέντρον ἀγνοεῖν τὰς ἄλλας ἔλεγεν,* et pag. 189, 6 *τὴν Χαρίκλειαν ὁ Θεαγένης ἐξ ὠλένης χειραγωγῶν δριμύ τι τῇ Ἀρσάκῃ ζηλοτυπίας κέντρον ἐνέβαλεν.* — Multo etiam minus eleganter Ach. Tat. pag. 175, 15 *τῷ λόγῳ τὴν ψυχὴν ὥσπερ ὑπὸ μύωπος πατοχθείς.* — pag. 176, 6 *ὡς ἅπαξ ἐνέβαλέ μοι τὸν μύωπα,* ubi non de amoris sed suspicionis et sollicitudinis stimulo agitur. Chariton et Longus nihil simile habent.

In eis quoque vocabulis utendis, quibus fides et castitas significatur, Nostri praeter ceteros eroticos consentiunt. Xenophon enim scribit: pag. 354, 8 *φυλάξειν ἀμόλυντον.* — pag. 358, 30 *ἄχραντον τηρῆσαι.* — pag. 358, 31 *τηρήσειν γάμων ἁγνήν.* — pag. 398, 23 *ἁγνὴ μένω σοι.* — pag. 340, 26 *ἐμοὶ μενεῖς ἁγνή.* — pag. 376, 13 *ἁγνὴ μένω . . . καὶ γάμον ἄχραντον Ἁβροκόμῃ τηρῶ.* — pag. 382, 28 *τηρήσειν γάμων ἁγνήν.* — pag. 384, 21 *τηρῆσαι ἁγνήν.*

Apud Heliodorum autem legitur: pag. 74, 11 *(παρθενίαν) ἄχραντον . . . . ὀνομάζουσα.* — pag. 126, 29 *ἁγνεύοντες ἔτι καὶ παρθενεύοντες.* — pag. 272, 8 *ἁγνὴν φυλαχθῆναι.* — pag. 279, 31 *ἁγνεύουσα ὁμιλίας τῆς πρὸς ἄνδρας* — (pag. 276, 4 *μολυσμὸν γενέσθαι.* — pag. 282, 8 *ἱκανῶς καὶ μέχρι τούτων ὄψιν τε καὶ ἀκοὴν ἐχράνθημεν.*)

Contra Chariton nil nisi *καθαρός, σώφρων (σωφρονεῖν, σωφροσύνη, πιστός, παρθένος.)* Achilles Tatius uno omnino loco pag. 211, 5 *„ἄχραντος"* habet. Quod vero uterque Nostrorum *„ἐκ παίδων σύντροφος"* scribit, (Xen. pag. 347, 4 *οὐ μὰ τὴν μέχρις ἄρτι σωφροσύνην ἐκ παιδός μοι σύντροφον.* — Heliod. pag. 64, 23 *τὴν ἐκ παίδων μοι σύντροφον ἱερωσύνην ἔγνων μὴ*

καταισχῦναι) eo minus dubium est, uter imitator habendus sit, quo magis apte „*ἐκ παίδων σύντροφος*“ de pudicitia quam de sacerdotio dicitur. — cf. praeterea Xen. pag. 347, 7 *τεθνήξομαι δὲ πρότερον καὶ φανοῦμαι νεκρὸς σώφρων*. — Hel. pag. 10, 29 *ἀγχόνῃ προλήψομαι τὴν ὕβριν ... καὶ καλὸν ἐντάφιον τὴν σωφροσύνην ἀπενεγκαμένη*.

Ad vitae taedium, mortis desiderium alia id genus exprimenda Heliodorus non semel eisdem utitur vocabulis, quibus Xenophon; ex quibus item ea annoto, quae apud ceteros eroticos non inveniuntur.

Apud Xenophontem parentes amantium desperata filiorum salute mortem sibi consciscunt: pag. 387, 11 *οἱ γονεῖς ἑκατέρων ἑαυτοὺς ἐξήγαγον τοῦ βίου*. — Habrocomes mortem sibi consciscere decernit: pag. 393, 17 *τάφον ἔγειρον Ἀνθείᾳ . . . . καὶ σαυτὸν ἤδη παρ' αὐτὴν ἄγε*. — Cum his comparanda sunt: Heliod. pag. 69, 16 *ἐμαυτὸν μὲν οὐκ ἐξάγω τοῦ βίου*. — pag. 226, 30 *ὅπως αὑτὴν ἐξάξοι τοῦ βίου διανοουμένην*.

Huc pertinent etiam: Xen. pag. 385, 12 *εἰ δὲ ἐκεῖνος τέθνηκεν, ἀπαλλαγῆναι κἀμὲ καλῶς ἔχει τοῦ πονήρου τούτου βίου*. Heliod. pag. 230, 17 *ἀπηλλάχθαι λοιπὸν ζωῆς ἀνιάτου καὶ ἄλης ἀνηνύτου καὶ τύχης ἀσπόνδου* — Xen. 378, 7 *πολλὰ ἐβουλεύετο .. ἑαυτὴν ἀποκτεῖναι, ἀλλ' ἔτι ὑπὲρ Ἁβροκόμου τι ἤλπιζε* — Heliod. pag. 125, 9 *ζῆν τέως ἀνεχομένη διότι μοι περιεῖναι τὸν γλυκύτατον ἐλπίζω*. — Xen. pag. 289, 24 *Πέπεισμαι γάρ, φιλτάτη, ὡς οὐκ ἄν ποτε οὐδὲ ἀποθανοῦσα ἐκλάθοιό μου*. — Heliod. pag. 5, 7 *οὐκ ἀνέχῃ δὲ ὅμως οὐδὲ μετὰ θάνατον ἀποστατεῖν ἡμῶν*.

„*Ἀκατάσχετος*“ adiectivum Nostros aeque delectat, cum id a Charitone et Achille Tatio omnino neglegatur. Xen. pag. 332, 26 *ὁ ἔρως ἦν ἀκατάσχετος*. — pag. 351, 6 *ἐν ὀργῇ ἀκατασχέτῳ γίνεται*. — pag. 369, 24 *ἐν ἀκατασχέτῳ λύπῃ*. — Heliod. pag. 21, 30 *ὀργῆς ἀκατασχέτου πληρωθείς*. — pag. 276, 20 *ἀκατάσχετος ὁρμή* — pag. 288, 23 *τὸ ἀκατάσχετον τῆς χαρᾶς*. — pag. 299, 15 *εἰς φυγὴν ἀκατάσχετον*.

„*Κ ιροῦ λαμβάνεσθαι*“ (praesertim *λαβόμενος*) et „*σχολῆς λαβόμενος*“ locutiones Nostris usitatae sunt; et quidem *καιροῦ λαβόμενος* Xen. pag. 365, 25; 364, 29; 395, 32. Heliod. pag. 16, 10; 38, 17; 55, 13; 74, 15; 213, 20; 54, 20 (*καιροῦ λάβοιτο*) 111, 13 (*καιροῦ λαβέσθαι*).

Σχολῆς λαβόμενος Xen. pag. 348, 23. — Heliod. pag. 30, 9 *σχολῆς ἐπιλαβόμενος*, pag. 100, 27 *σχολῆς ἐλαβόμην*. (Chariton semel scribit pag. 68, 3 *ἐρημίας λαβομένη*.) — Ach. Tat. pag. 191, 16 *προφάσεως λαβόμενος*.

Mirus etiam minutarum quarundam rerum consensus Nostrorum est. Velut Xen. pag. 371, 12 sq. *ἐπὶ τὴν θάλατταν ἔρχεται καὶ ἐπιτυγχάνει νεὼς εἰς Ἀλεξάνδρειαν ἀναγομένης, καὶ ἐπιβὰς ἀναγεται, ... καὶ ὁ μὴν ἔπλει τὴν ἐπ' Ἀλεξανδρείας*. — Heliod. pag. 18, 7 sq. *εἰς τὸν Πειραιᾶ κατέβην καὶ νεὼς ἀναγομένης ἐπιτυχὼν τὸν πλοῦν εἰς Αἴγυπτον ἐποιούμην*. — pag. 73, 18 *διὰ τοῦ Νείλου κατάρας ἐπὶ θάλατταν ἐπιτυχών τε νεὼς ἀνηγόμην τὴν ἐπ' οἴκου*.

Quamvis enim eae locutiones usu sermonis cotidiani tritae sint, ut, quicunque de eiusmodi rebus loquatur, eisdem fere verbis utatur, tamen Chariton et Achilles Tatius haec eadem nusquam plane eisdem verbis dixerunt.

Licet autem quidam consensus casui debeantur, tamen multa reliqua sunt, quae demonstrant, Heliodorum Ephesiaca perdiligenter legisse et quam plurima elegantiora vocabula inde sumpsisse. Eiusmodi haec sunt, quae cum apud Charitonem et Achillem Tatium non legantur, praetermittere nolui: Xen. pag. 345, 20 *δεῖ σε τῇ τύχῃ πάντα λογίσασθαι*. — Heliod. pag. 19, 25 *ἐκεῖνα μὲν τῇ τύχῃ λογιστέον*.

Xen. pag. 337, 19 *καὶ ἐδόκει αὐτῷ παντὸς . . . εἶναι νέκταρος ποτιμώτερα τὰ δάκρυα*.

Heliod. pag. 88, 10 *εὐόμιλόν τε καὶ ποτιμώτερον τὸ συμπόσιον ἀπεργαζόμενος*.

Xen. pag. 332, 22 *ἔγνωσαν τότε οἷ κακῶν ἐγεγόνεσαν*. pag. 388, 15 *συνεὶς οἷ κακῶν ἐγεγόνει*.

Heliod. pag. 225, 29 *συνεῖσα οἷ κακῶν ἦν*. — pag. 247, 10 *οἷ κακῶν ἦσαν συνιέντες*.

(Charit. pag. 66, 5 *αἰσθόμενος οἷ καθέστηκε δεινοῦ*. — Ach. Tat. pag. 77, 17 *συνεὶς τὸ κακόν*. — pag. 189, 25 *ἰδὼν οἷον ἔχει κακόν*).

Xen. pag. 342, 23 *κόμη ἦν αὐτῷ αὐχμηρά*.

Heliod. pag. 52, 10 *ἀνὴρ τὴν κόμην αὐχμηρός* — pag. 6, 18 *τὴν ὄψιν αὐχμηρός*. — pag. 8, 11 *κάλλους ὄψις κρατεῖν τῶν αὐχμηροτέρων δύναται*. (Ach. Tat. pag. 98, 28 *κόμην ἔχων πολλὴν καὶ ἀγρίαν*.)

Xen. pag. 337, 8 *ἔκειντο . . . πνευστιῶντες*.

Heliod. pag. 240, 5 *ἱππεὺς . . . πνευστιῶν*.

Xen. ter scribit *στέργειν* vel *ἀγαπᾶν διαφερόντως* (pag. 350, 7; 360, 27; 380, 9).

Heliod. pag. 134, 16 *διαφερόντως τῶν ἄλλων θεῶν αὐτὸν καθοσιούμενος* (*Ἑρμῇ*).

In eis vocabulis, quae ut Xenophontis propria Rohde l. l. pag. 405 adnot. 1 enumerat, *δυσωπεῖν τινα*, terrere aliquem, invenio. Xen. pag. 377, 19 *καὶ οὐδὲν αὐτὴν ἐδυσώπει, οὐκ ἄντρον, οὐ δεσμά, οὐ λῃστὴς ἀπειλῶν.* Heliodorus si non plane eadem cum significatione, at similiter scribit pag. 307, 3 *ἔχεις τὸν ἄνδρα . . . ἱκανὸν δὲ καὶ ἐξ ὄψεως δυσωπῆσαι.*

De soloecismis denique quibusdam Nostris communibus haec dicenda sunt: Haud ita magni momenti est, quod ab utroque semel bisve loco accusativi genitivus ponitur, ubi de temporis spatio agitur, (Xen. pag. 360, 3; Heliod. pag. 218, 15) cum in eadem re a multis scriptoribus serioris aetatis peccetur. — Multo autem magis mirum est, quod uterque „*οἱ φύντες*“ pro „*οἱ φύσαντες*“ vel „*οἱ γονεῖς*“ utitur.

Apud Heliodorum hic turpissimus soloecismus multis locis occurrit: pag. 53, 7; 107, 18; 111, 19; 151, 9; 170, 16; 177, 10; 187, 30 (*τῷ φύντι*); 186, 22 (*τὸν φύντα*); 198, 21; 256, 28; 271, 27 et 32; 288, 17; 309, 30.

Xenophon semel scribit pag. 339, 24 *ἆρα ἔτι ὑμᾶς οἱ φύντες ὀψόμεθα;* aliis locis pluraliter *οἱ γονεῖς* pag. 387, 11; pag. 399, 16.

Plane incredibile vero est eosdem ceteroquin „*ἔφυν*“ recte ponere, velut Heliod. pag. 61, 24 *ὁπόθεν εἰσὶν ἢ ἐκ τίνων φύντες.* pag. 186, 18 *περιφύντες.* pag. 187, 3 *περιφῦσα.* pag. 189, 9 *προσφύς* pag. 191, 24 *περιέφυ.* pag. 221, 32 *πέφυκε* alias. — Xen. pag. 337, 27 *συμφύντες ἀλλήλοις.*

Ceteri erotici in eum barbarismum non incidunt atque etiam quaedam vocabula communis sermonis fugiunt, quibus Nostros uti videmus. Velut Heliodorus identidem „*γράμμα*“ singulariter pro „*γράμματα*“ vel „*ἐπιστολή*“ utitur (pag. 48, 1; 209, 27; 220, 1; 231, 21; 275, 18; 276, 4 et 6; 306, 21) id quod Xenophontis quoque codex manuscriptus habet eo loco, ubi nunc *γράμματα* legitur pag. 350, 29 (cf. Rohd. l. l. pag. 405 adnot. 1, pag. 462 adnot. 2). Chariton et Achilles Tatius nusquam non „*γράμματα*“ vel „*ἐπιστολή*“ scribunt.

Eodem pertinet, quod Nostri pro „*τῇ ὑστεραίᾳ*“, „*τῇ ἑξῆς*“ scribere solent. (Xen. pag. 357, 28; 359, 20; 396, 18. — Heliod. pag. 23, 20; 95, 14; 201, 30; 252, 25 aliis locis), cum Chariton et Achilles Tatius Attice „*τῇ ὑστεραίᾳ*“ utantur.

Reliquum est, ut unius cuiusdam locutionis usu doceam exemplum dictionis Xenophontis plurimum valuisse apud Heliodorum, paulo minus apud Charitonem, Achilli Tatio autem Ephesiaca fortasse omnino ignota fuisse. Etenim

ei scriptores erotici crebro hoc habent, ut stupere aliquem dicant inexspectata calamitate aut repentino terrore aut alio vehementiore animi motu oblato, ita ut vocem mittere non possit. Haec res apud Xenophontem nusquam non eodem modo exprimitur: pag. 336, 1 *εὐθὺς μὲν ἀχανὴς ἦν καὶ οὔτε τι ἀποκρίνασθαι εὕρισκεν.* — pag. 350, 4 *ὑπὸ τῆς συμφορᾶς ἔκειτο ἀχανής, οὐδὲ φθέγξασθαί τι δυναμένη· ὀψὲ δὲ καὶ μόλις αὑτὴν ἐγείρασα.* — pag. 374, 21 *ὑπὸ τῶν κακῶν ἀχανὴς ἦν.* — pag. 394, 20 *εὐθὺς μὲν ἀχανεῖς ἐγένοντο, ἀνενεγκόντες δὲ κατὰ μικρόν.* — pag. 396, 26 *προσπεσόντες δὲ τοῖς γόνασιν ἔκειντο ἀχανεῖς.*

Heliodorus variare quidem studet orationem, sed tamen plerumque idem ponit vocabulum „*ἀχανής*“: pag. 16, 1 *ὥσπερ τυφῶνι βληθείς, αὖος ἀπόπληκτος εἱστήκειν.* — pag. 43, 4 *τρόμῳ συσχεθεὶς ἀχανὴς εἱστήκει.* — pag. 49, 21 *ἐπὶ πολὺ μὲν ἀχανὴς εἱστήκει.* pag. 123, 19 *αὖος ἐγεγόνει πρὸς τὴν ἀκοήν.* — pag. 128, 18 *ἰλιγγιάσαντες πρὸς τὴν θέαν ἐπὶ πλεῖστον ἀχανεῖς εἱστήκεσαν . . . . ὀψὲ δ᾽ οὖν ποτε* — pag. 132, 18 *ὁ δὲ ἐνεὸς ἐγεγόνει.* — pag. 162, 1 *ἀχανεῖς ἐπὶ πλεῖστον εἱστήκεσαν . . . . ἀλλ᾽ ὀψέ ποτε αὑτοὺς ἀνελάμβανεν.* — pag. 186, 25 *καὶ ταῦτα ἔτι θαυμαζόντων, καὶ λεγόντων μὲν οὐδέν, ὥσπερ δὲ ἀχανῶν πρὸς μόνην τὴν θέαν ἐπτοημένων.* — pag. 285, 11 *ἀχανής τε καὶ αὖος ἐγεγόνει.*

Chariton multo minus eodem vocabulo delectatur: pag. 5, 26 *ἄφωνος εὐθὺς ἦν καὶ σκότος αὐτῆς τῶν ὀφθαλμῶν κατεχύθη.* pag. 8, 9 *πυνθανομένης δὲ τί γέγονεν, ἄφωνος ἦν.* — pag. 10, 8 *ἐπὶ πολὺ μὲν οὖν ἀχανὴς ἔκειτο.* — [pag. 11, 12 *ἄφωνος καὶ ἄπνους* (pro mortua) *ἔκειτο.*] pag. 34, 27 *καταπλαγεὶς οὖν . . . . ἄφωνος ἦν· οὔσης δὲ ἐπὶ τὸ πλεῖστον σιωπῆς ὀψέ ποτε καὶ μόλις ἐφθέγξατο.* — pag. 38, 28 *ἄφωνος ἐγένετο, καὶ τις ἀχλὺς αὐτοῦ κατεχύθη . . . μόλις δὲ ἀνενεγκών.* — pag. 46, 3 *ἐξεπλάγη πρὸς τὸ ἀνέλπιστον ὁ Διονύσιος καὶ ἀχλὺς αὐτοῦ τῶν ὀφθαλμῶν κατεχύθη . . . ὀψὲ δὲ καὶ μόλις ἀνανήψας.* — (pag. 60, 3 *κατέπεσε σκοτοδινιάσας.*) pag. 65, 4 *δείσασα . . . τὸ μὲν πρῶτον ἄφωνος εἱστήκει, μόλις δὲ ἐφθέγξατο.* — (pag. 66, 20 *ἐξέθανεν ὁ Διονύσιος ἀκούσας καὶ νὺξ αὐτοῦ τῶν ὀφθαλμῶν κατεχύθη.*) pag. 71, 1 *ἀχανὴς κατέπεσεν.* — pag. 99, 18 *ἄναυδος εἱστήκει.* — pag. 80, 14 *σκότος τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ κατεχύθη.* — pag. 115, 7 *ἔστη ὁ εὐνοῦχος ἀχανής.*

Achilles Tatius eo adiectivo omnino non utitur: pag. 51, 4 *τὸν Κλεινίαν ἀφῆκεν ἡ φωνὴ καὶ ἔμεινεν ἀκίνητος, ὥσπερ τυφῶνι βεβλημένος τῷ λόγῳ* (cf. Heliod. pag. 16, 1), pag. 52, 9 *ἐσίγα τινὰ χρόνον ὑπ᾽ ἐκπλήξεως.* — pag. 101, 31 *ἐκ παραλόγου καθήμενος ἐθεώρουν. Τὸ δὲ ἦν ἔκπληξις.* — pag. 150, 23 *ἀνέθορεν ὑπ᾽ ἐκπλήξεως τοῦ παραλόγου.* pag. 159, 3 *ἡ μὲν δὴ τῷ παραλόγῳ τῆς συμφορᾶς ἐκπλαγεῖσα ἐσιώπησεν.* pag. 175, 31 *οὔτε ἀνῴμωξα οὔτε ἔκλαυσα οὔτε γὰρ φωνὴν εἶχον οὔτε δάκρυα.* — pag. 193, 3 *ἐκεχήνει θαυμάζων.*

Longus et dicendi genere et narrationis dispositione a ceteris eroticis adeo differt, ut cum eis fere comparari non possit.

Iam perveni ad finem commentationis meae. Quod etsi vereor, ne mea argumentatio non tam dilucida et firma sit, quam res postulat, tamen haec me ostendisse spero: Xenophontem Ephesium et Heliodorum tot rebus inter se consentire et ab aliis eroticis differre ut imitationis rationem inter eos intercedere pro certo sumi possit, earum autem rerum nonnullas tales esse, ut Heliodorum imitationis coarguere videantur, paucas quasdam eiusmodi, ut prorsus cogamur statuere, eas ab Heliodoro ex Xenophonte sumptas esse. Contraria vero argumenta equidem invenire potui nulla. Quae cum ita sint, satis profectum esse arbitror ad sententiam eorum confirmandam, qui Xenophontem Heliodoro aetate antecedere arbitrantur.

Nullis igitur adiumentis aliunde petitis una fabularum eroticarum comparatione eam, quae nobis tractanda erat, quaestionem persolvi posse iudico. Multo autem difficilior de ipsa Xenophontis aetate quaestio est; neque ad ea indicia, quae a Casperio, Locella, Rohdio collecta esse supra commemoratum est, multum novi adiungere possum. Unum tamen monere velim a viris doctissimis omissum: Ex scriptoribus eroticis bucolorum Aegyptiorum mentionem faciunt Xenophon, Heliodorus, Achilles Tatius, quorum primus nostra quidem sententia Xenophon est. Supra autem vidimus omnia indicia, quae in ipsis Ephesiacis inveniantur, eo pertinere, ut ille exeunte saeculo secundo aerae nostrae viguisse videatur. Quodsi praeterea comparamus, quae scribit Dio Cassius 71, 4 de seditione bucolorum Marco Aurelio imperante (anno p. Chr. nat. 172) facta, admodum verisimile esse videtur, Ephesium illius ipsius seditionis recenti fama inductum esse, ut Habrocomem suum in Aegyptum profectum et a pastoribus Aegyptiis captum esse narraret. (Xen. Eph. pag. 372, 11 sq.

Ad ea igitur, quae diximus, indicia rem haud sane levem accedere videmus, qua illa de Xenophontis Ephesii aetate sententia non mediocriter confirmatur.

